OFFICIA PROPRIA SANCTORUM OLISIPONENSIS ECCLESIAE, ...

Lisbona

OFFICIA PROPRIA
SANCTORUM
OLISIPONENSIS ECCLESIÆ,

Unà cum Officiis, quæ pro toto Regno, ac Dominiis Reginæ Fideliſſimæ noviter conceſſa reperiuntur:

NECNON ET ALIA,

Quæ in Proprio Sanctorum Hiſpanorum noſtro inveniebantur in Regno recitanda.

In Quatuor Anni Tempora diſtributa.

Editio ultima accuratè expurgata.

OLISIPONE.

EX TYPOGRAPHIA ALOYSIANA.

ANNO M. DCC. LXXX.

Regiæ Curiæ Cenſoriæ permiſſu.

Vende-ſe na loja de Bernardo João de Almeida, junto ao Chafariz do Loreto.

INDEX SANCTORUM,

Qui in hoc Libello continentur.

18 De

18 De Octava, *semid. cum com.* Ss. Marci, & Marcelliani Mart.

19 S. Julianæ de Falconeriis Virg. *semid. cum com.* Oct. S. Antonii.

20 Octava S. Antonii C. *dup. cum com.* S. Silverii Papæ.

Dominica ultima Junii.

Festum Puritatis B.M.V. *dup. cum com.* Dominicæ.

JULIUS.

4 S. Elisabeth Viduæ Reginæ Portugalliæ, *dup. ii. Class.* cum Octava.

7 S. Pulcheriæ Virg. Imperatricis, *dup. maius, cum com.* Oct. S. Elisabeth.

8 De Octava S. Elisab. *sem.*

9 De Octava, *semid.*

10 Octava S. Elisabeth, *dup. cum com.* S. Pii Papæ, & Martyris.

15 S. Camilli de Lellis Confessoris, *dup.*

Dominica tertia Julii.

Officium S. Angeli Custodis Regni, *dup. ii. Class. cum com.* Dominicæ.

AUGUSTUS.

6 SS. Salvatoris, Titularis sacrosanctæ Ecclesiæ Patriarchal. Lisbon. *dup. i. Classis*, cum Octava.

9 De Octava, *semid. cum com.* Vigil. & S. Romani Mart.

11 De Octava, *semid. cum com.* Ss. Tiburtii, & Susannæ Mart.

13 Oct. SS. Salvatoris, *dup. cum com.* Octava S. Laurentii, ac Ss. Hippolythi, & Cassiani Mart.

16 S. Rochi C. *dup. mai. cum com.* Octav. Assumpt. & S. Laurentii.

SEPTEMBER.

4 S. Rosæ Viterbiensis. Virg. *dup.*

16 Translat. S. Vincentii Martyris, *dup. ii. Classis.*

17 B. Petri de Arbues Mart. *dup.*

OCTOBER.

1 Ss. Martyrum Verissimi, Maximæ, & Juliæ, *dup. mai.*

Dominica II. hujus mensis.

Offic. de Patrocinio S. Joseph Sponsi B. V. M. *dup. ii. Classis.*

10 S. Francisci Borgiæ C. Patroni Regni Portugalliæ, & Dominiorum, *dup. i. Classis*, cum Octav.

11 De Octav. S. Francisci, *semid.*

12 De Octava, *semid.*

16 De Octava, *semid.*

17 Octava S. Francisci Borgiæ, *dup.*

20 S. Irenæ Virg. & Mart. *dup. maius.*

25 Ss. Crispini, & Crispiniani Mart. *dup. mai. cum com.* Ss Mart. Chrysanthi, & Dariæ.

29 Translat. S. Elisabeth Reginæ, *dup.*

NOVEMBER.

25 S. Catharinæ Virginis, & Mart. *dup.*

PRO-

PROPRIUM SANCTORUM OLISIPONENSIS ECCLESIÆ.

PARS HYEMALIS.

FESTA DECEMBRIS.

DIE IV. DECEMBRIS.

In Festo S. Barbaræ Virginis, & Mart. duplex.

Omnia de Communi Virginū, præter ea, quæ hìc ponuntur.

Oratio.

DEus, qui inter cétera poténtiæ tuæ mirácula, étiam in sexu frágili victóriam martyrii contulisti: concéde propitius, ut qui Beátæ Bárbaræ Virginis & Mártyris tuæ natalítia cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum nostrum.

In utriusque Vesperis, & Laudib. fit commem. Feriæ.

In primo Nocturno, Lect. de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

BArbara Virgo Nicomediénsis Dióscori nóbilis, sed superstitiósi hóminis filia, per ea, quæ visibília facta sunt, ad invisibília, divina opitulánte grátia, fácilè pervénit. Quaprópter soli Deo, rebúsque divinis vacáre cœpit. Eam pater, utpote forma venustióri niténtem à quocúmque virórum occúrsu tutári cúpiens, turri inclúsit, ubi pia Virgo meditatiónibus, & précibus addícta, soli Deo, quem sibi in sponsum elégerat, placére studébat. Obláta à patre plúries nobilium connúbia fórtiter sprevit; pater verò per sui abséntiam filiæ ánimum posse faciliùs emolíri confidens, jussit bálneum primò éxtrui ne quid ei deésset ad commoditátem; deinde péregrè in éxteras regiónes proféctus est.

℟. Propter veritátem, & mansuetúdinem, & justítiam: * Et dedúcet te mirabiliter déxtera tua. ℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua, inténde, prósperè procede, & regna. Et.

Lectio v.

ABsénte patre jussit Bárbara duábus fenéstris, quæ in turri erant, tértiam addi in honórem Divinæ Trinitátis, labiúmque bál-

nei sacrosánctæ Crucis signo muniri, quod ubi rédiens Dióscorus inspéxit, audita novitátis causa, ádeò in filiam excánduit, ut stricto ense eam áppetens, parùm obfúerit, quin eam dirè confóderet; sed præstò ádfuit Deus: nam fugiénti Bárbaræ saxum ingens se patefáciens viam apéruit, per quam montis fastígium pétere, & in specu latére pótuit: sed paulò post cùm à nequíssimo genitóre repérta fuisset, ejus látera pédibus, dorsúmque pugnis immániter percússit, & crínibus per loca áspera, difficilésque vias raptátam Marciáno Præsidi puniéndam trádidit.

℞. Dilexísti justítiam, & odísti iniquitátem: * Proptéreà unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, & mansuetúdinem, & justítiam. Proptéreà unxit.

Lectio vi.

ITaque ab ipso ómnibus modis, sed incássum tentáta, nuda nervis cædi, & inflícta vúlnera téstulis confricári, deinde in cárcerem trahi præcépit; ubi imménsa luce circúmdatus ei Christus appárens, mirificè confortátam in passiónum tolerántia confirmávit; quod animadvértens Juliána Matróna ad fidem convérsa ejúsdem palmæ párticeps efféćta est. Bárbaræ demùm férreis únguibus membra laniántur, fácibus látera incendúntur, & malléolis caput contúnditur: quibus in cruciátibus consórtem solabátur, & hortabátur, ut ad finem usque constánter certáret; præcísis tandem utríque ubéribus, nudæ per loca pública tractæ cápite plectúntur, filiæque cervícem ipse sceleslíssimus pater humanitátis expers própriis mánibus amputávit; cujus fera crudélitas non diu inúlta remánsit: nam statim eo ipso in loco fúlmine percússus intériit. Caput hujus beatíssimæ Mártyris in Oratório ad sancta Sanctórum honorífice asservátur.

℞. Afferéntur Regi Vírgines post eam, próximæ ejus. * Afferéntur tibi in lætítia, & exultatióne. ℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua, inténde, próspere procéde, & regna. Afferéntur tibi. Glória Patri. Afferéntur.

In tertio Nocturno Homilia in Evangel. Simile est Regnum, *ut in Cóm. Virginum.*

FE-

FESTA JANUARII.

DIE XVI. JANUARII.

In Festo Ss. Quinque Martyrum Marochiensium.

Duplex in Patriarchatu Lisbonensi.

Omnia de Communi plurimorum Martyrum, præter ea, quæ sequuntur.

Oratio.

DEus, qui Sanctórum Mártyrum tuórum Berárdi, Petri, Accúrsii, Adjúti, atque Othónis glorióso certámine Ordinis Minórum initio consecrásti: concéde nobis fámulis tuis, ut quorum lætámur triúmphis, eórum virtútes imitémur. Per Dóminum nostrum, &c.

In primo Nocturno.

De Libro Ecclesiástici.

Lectio i. *Cap. 2.*

IN dolóre sústine, & in humilitáte tua patiéntiam habe: quóniam in igne probátur aurum, & argéntum: hómines verò receptíbiles in camíno humiliatiónis. Crede Deo, & recuperábit te: & dírige viam tuam, & spera in illum. Serva timórem illius, & in illo veteráſce. Metuéntes Dóminum sustinéte misericordiam ejus, & non deflectátis ab illo, ne cadátis. Qui timétis Dóminũ, crédite illi: & non evacuábitur merces vestra.

℟. Abstérget Deus omnem lácrymam ab óculis Sanctórum: & jam non erit ámpliùs, neque luctus, neque clamor, sed nec ullus dolor: * Quóniam prióra transiérunt. ℣. Non esúrient, neque sítient ámpliùs, neque cadeat super illos Sol, neque ullus æstus. Quóniam.

Lectio ii.

QUi timétis Dóminum, speráte in illum, & in oblectatiónem véniet vobis misericórdia. Qui timétis Dóminum, dilígite illum, & illuminabúntur corda vestra. Respícite filii natiónes hóminum: & scitóte, quia nullus sperávit in Dómino, & confúsus est. Quis enim permánsit in mandátis ejus, & derelíctus est? Aut quis invocávit eum, & despéxit illum? Quóniam pius & miséricors est Deus, & remíttet in die tribulatiónis peccáta: & protéctor est ómnibus exquiréntibus se in veritáte.

℟. Viri sancti gloriósum sánguinem fudérunt pro Dómino, amavérunt Christum in vita sua, imitáti sunt eum in morte sua: * Et ídeò corónas triumpháles meruérunt. ℣. Unus spíritus, & una fides erat in eis. Et ídeò corónas.

Lectio iii.

QUi timent Dóminum, non erunt incredíbiles verbo illíus: & qui díligunt illú , conservábunt viam illíus. Qui timent Dóminum , inquírent, quæ beneplácita sunt ei : & qui díligunt eum, replebûntur lege ipsíus. Qui timent Dóminum , præparábunt corda sua , & in conspéctu illíus sanctificábunt ánimas suas. Qui timent Dóminum, custódiunt mandáta illíus,& patiéntiam habébunt usque ad inspectiónem illíus.

℟. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia: * Et meruérunt habére corónas perpétuas. ℣. Isti sunt , qui venérunt ex magna tribulatióne,& lavérunt stolas suas in sángnine Agni. Et meruérunt habére. Glória Patri. Et meruérunt habére.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

OTho,Berárdus, Petrus, Accúrsius, & Adjútus Christi Fidem , quam verbo prædicáverant , sánguine confirmárunt. A Sancto Francísco , cujus disciplínæ alúmni erant, deléċti , quos ad id munus in Africam mitteret, ádeò ipsíus cohortatiónibus , & apud Deum précibus confirmáti sunt, ut nihil tam optárent, quàm pro barbarórum salúte vitam profúndere. Nudis ígitur pédibus, & in summa ómnium rerum inópia proficiscúntur in Hispániam, ubi cùm propter vitæ , morúmque sanctitátem Christi fidélibus admiratióni fuissent, & exémplo , Híspalim véniunt , & Mesquítam ingressi , Mauros ad veram fidem hortári summo stúdio cœpérunt ; at inde rejécti, & cólaphis, fustibúsque contúsi Regem ádeunt , qui , quòd Mahometánam impietátem coram se líberè detestaréntur , irátus, cápite plecti eos ímperat : verùm exorátus filii précibus, ne innocéntes hómines supplício afficeret , commutáta senténtia turri inclúdit, è cujus fastígio cum Christi fidem pópulo prædicárent , urbe excédere jubéntur , & Maróchium profícisci.

℟. Sancti tui Dómine mirábile consecúti sunt iter, serviéntes præcéptis tuis,ut inveniréntur illæsi in aquis válidis : * Terra appáruit árida, & in Mari rubro via sine impediménto. ℣. Quóniam percússit petram , & fluxérunt aquæ , & torréntes inundavérunt. Terra appáruit.

Lectio v.

MAri transmisso , maximísque in eo itínere exháustis labóribus , paulò

lò post, quàm Maróchium venérunt, fidei causa in víncula conjécti sunt, à qua cum nullis nec blandítiis, nec minis dedúci potuíssent, super solum aspérsis testis stratum nudi projiciúntur, totáque nocte flagris cæsi ita sunt, ut víscera penè difflúerent: qui in cruciátu una fuit hæc ómnium vox: Numquam secum tam præclárè tactum esse, quàm eo noctis témpore. Póstero die cùm ad Regem Miramolínum vincti duceréntur, quidam autem ex Procéribus óbviàm eis factus, ut à Christo deficerent, suadére non desísteret, Otho in Maurórum sectam invéctus gráviter est; ob id verò álapa percússus, álteram statim maxíllam Saracéno óbtulit, Deum precátus, ut eidem ignósceret. Tum ille exscandéscens ad Regem introdúci eos jussit, dignos clamans, de quorum insánia Rex ipse supplícium sua manu súmeret.

℟. Vérbera carníficum non timuérunt Sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine: * Ut hærédes fierent in domo Dómini. ℣. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia. Ut hæredes.

Lectio vi.

Coram addúctos à Christiána Religióne magnis præmiis avértere Miramolínus aggréditur; verùm cùm nec blandítiis, nec minis quicquam proficeret, in furórem actus stricto gládio omnes obtrúncat. Martyrii palmam adépti sunt décimo séptimo Kaléndas Februárias anno Dómini millésimo ducentésimo vigésimo. Eórum córpora à nequíssima multitúdine fúnibus tracta extra muros in ignem conjiciúntur; quibus cùm ignis párceret, Christiáni verò, qui áderant, Deum ob id summis láudibus extóllerent, Saracéni lápides in eos jáciunt; Mártyrum córpora circa muros, & per vicos íterùm raptant, & dilácerant quorum sparsa membra clàm à Christiánis colléčta, partim in privátis ædibus serváta sunt, partim sepultúræ mandáta; pléraque in Lusitániam deláta Conímbricæ in Cœnobio Sanctæ Crucis honorificè cóndita, ubi magno pópuli concúrsu ad hoc usque tempus colúntur. Horum Mártyrum memória méritis, & miráculis illústrium, ut eo die, quo passi sunt, ab univérso Seráphico Ordine, deinde ut ab áliis étiam plúrimis, recolerétur, Summi Pontífices indulsérunt; quam ad ómnia Lusitánæ Ditiónis Domínia, ubi jam à multis celebrabátur,

tur, Benedíctus Décimus quartus Póntifex Máximus benígnè ampliávit.

℟. Tamquam aurum in fornáce probávit eléctos Dóminus, & quasi holocáusti hóstiam accépit illos, & in témpore erit respéctus illórum: * Quóniam donum, & pax est eléctis Dei. ℣. Qui confidunt in illum, intélligent veritátem: & fidéles in dilectióne acquiéscent illi. Quóniam. Glória Patri. Quóniam.

In tertio Nocturno.

Léctio Sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vii. *Cap.* 10.

IN illo témpore: Dixit Jesus Discípulis suis: Ecce ego mitto vos, sicut oves in médio lupórum. Estóte ergo prudéntes sicut serpéntes, & símplices sicut colúmbæ. Et réliqua.

Homilía Sancti Augustíni Epíscopi.

De verb. Evangel. Matth. Cap. 10.

AUdístis, fratres, cùm Sanctum Evangélium legerétur, quemádmodum Dóminus noster Jesus Christus disciplína sua Mártyres suos corroboráverit, dicens: Ecce ego mitto vos, sicut oves in médio lupórum. Consideráte, fratres mei, quid fáciat. Si unus lupus inter multas oves véniat, quantacúmque sint óvium míllia, uno lupo in médio turbabúntur: & si non omnes laniántur, omnes tamen terréntur. Qualis ergo erat ista rátio, quale consílium, qualis potéstas, nec lupum ad oves admittere, sed in lupos oves mittere? Mitto, inquit, vos, sicut oves in médio lupórum: non ad límites lupórum, sed in médio lupórum. Erat ergo lupórum agmen, oves paucæ.

℟. Propter testaméntum Dómini, & leges patérnas, Sancti Dei perstitérunt in amóre fraternitátis: * Quia unus fuit semper spíritus in eis, & una fides. ℣. Ecce quàm bonum, & quàm jucúndum habitáre fratres in unum. Quia unus fuit.

Lectio viii.

AUdiámus ergo quid mónuit. Estóte, inquit, prudéntes sicut serpéntes, & símplices sicut colúmbæ. Si jam simplícitas columbárum índicta est nobis, astútia serpéntis quid facit in colúmbæ simplicitáte? Amo in colúmba, quòd fel non habet: tímeo in serpénte, quòd venénum habet. Noli ex omni parte horrére serpéntem; habet quod óderis, habet quod imitéris. Serpens enim, cùm fúerit senectúte prægravátus, & sénserit pondus ve-

tustá-

tustátis, coárctat se per cavérnam, & depónit túnicam véterem, ut novus exíliat. Imitáre illum, Christiáne, qui audis Christum dicéntem: Intráte per angústam portam. Et Paulus Apóstolus tibi dicit: Exúite vos véterem hóminem cum áctibus suis, & indúite novum. Habes ergo, quod imitéris in serpénte.

℟. Sancti mei, qui in carne pósiti, certámen habuístis: * Mercédem labóris ego reddam vobis. ℣. Veníte, benedícti Patris mei, percípite Regnum. Mercédem labóris. Glória Patri. Mercédem labóris.

Lectio ix.

JAm verò quid opus est commendáre multis verbis simplicitátem columbárum? Cavénda enim erant venéna serpéntis: ibi imitátio periclitabátur, ibi erat quod timerétur: colúmbam verò secúrus imitáre. Atténde colúmbas in societáte gaudére; ubíque simul volant, simul pascúntur, communióne gaudent, charitátem servant. Colúmba amat & quando rixátur: lupus odit, & quando blandítur. Columbárum ergo simplicitátem habéntes, & astútiam serpéntum, solémnia Mártyrum celebráte in sobrietáte mentis: Deo laudes dicite. Ipse est enim Dóminus Deus noster, qui Mártyrum Deus, ipse coronátor noster. Si benè luctáti fuérimus, coronámur ab eo, qui coronávit eos, quos imitári concupíscimus.

Te Deum laudámus.

DIE XXI. JANUARII.

In Vigilia Sancti Vincentii Martyris.

Homilia in Evang. Si quis vult post me venire, *de Communi unius Martyr. 2. loco.*

Oratio.

ADésto, Dómine, supplicatiónibus nostris: & intercessióne Beáti Vincéntii Mártyris tui, cujus prævenímus festivitátem, perpétuam nobis misericórdiam benignus impénde. Per Dóminum.

DIE XXII. JANUARII.

In Festo Sancti Vincentii Martyr. dup. i. class. cum Octava.

Ad Vesperas, Antiphona. Vincénti dabo édere, *cum reliquis de Laudibus, Psalmus* Dixit Dóminus, *cum reliquis de Dominica, & loco ultimi, Psalm.* Laudate Dóminum omnes Gentes.

Capitulum. *Hebr.* 11.

SAncti per fidem vicérunt regna, operáti sunt justítiam, adépti sunt repromissiónes.

Hy-

Hymnus.

BEáte Martyr, prófpera
Diẽ triumphálem tuum,
Quo sánguinis merces tibi
Coróna, Vincénti, datur.
Hic te ex ténebris fæculi,
Tortóre victo, & júdice,
Evéxit ad Cælum dies,
Christóque ovántẽ réddidit.
Nunc Angelórũ párticeps
Luces in insígni stola,
Quam testis indomábilis
Rivis cruóris láveras.
Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Et nunc, & omne in fæculum. Amen.

℣. Glória & honóre coronásti eum, Dómine.

℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Ad Magnificat, Antiphona. Sacram Beáti Vincéntii solemnitátem devótè celebrémus, qua invíctus Christi Martyr de tyránno insígnem victóriam probátus per ómnia reportávit.

Oratio.

ADésto, Dómine, supplicatiónibus nostris: ut qui ex iniquitáte nostra reos nos esse cognóscimus; Beáti Mártyris tui Vincéntii intercessióne liberémur. Per Dóminum nostrum.

Ad Matutinum, Invitatorium. Vincéntem in Martyribus Christum Dóminum, * Venite, adorémus.

Psalm. Venite, exultémus.

Hymnus.

EXúrge, Martyr inclyte,
Exúrge secúrus tui,
Exúrge, & audi cánticum,
Quod excubántes psállimus.
Decúrsa jam satis tibi
Pœnæ minácis múnia,
Pulchræque mortis éxitu
Omnis perácta est passio.
O miles invictíssime,
Fortissimórum fórtior,
Jam te ipsa fæva, & áspera
Torménta victórẽ tremunt.
Spectátor hæc Christus Deus
Compénsat ævo intérmino,
Propriæque collégam Crucis
Larga corónat déxtera.
Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Et nunc, & omne in fæculum. Amen.

In primo Nocturno. Antiph. Sanctus Vincéntius Divína pollens sciéntia, suscépto Diacónii officio, vices Pontíficis strénuè exequebátur. *Psalm.* Beátus vir, *cum reliq. ut in Communi unius Mart.*

Antiphona. Valérius Epíscopus & Vincéntius Levíta spe fruéndæ victóriæ alácriter ad martyrium cucurrérunt.

Antiphona. Sicut abúndans passiónes Christi in nobis, ita & per Christum abúndat consolátio nostra.

℣. Glória & honóre coronásti eum, Dómine.

℟. Et

℟. Et constituisti eum super ópera mánuum tuárum.

Lectiones primi Noct. Fratres, debitóres sumus, *ut in Communi plurimorum Martyr. Respons. autem, quæ sequuntur.*

℟. *i.* Sacram Beáti Vincéntii Mártyris solemnitátem devótè celebrémus, cùm invíctus Christi athléta insígnem victóriæ palmam intulit Cælo: * Et bravíum salútis ætérnæ comprehéndens, corónam justítiæ recépit. ℣. Bonum certámen certávit, cursum consummávit, fidem servávit. Et bravíum.

℟. *ii.* Si jubes, Pater Sancte, respónsis júdicem aggrédiar. Jam tibi, fili, divíni verbi curam commíseram: * Nunc quoque pro fide, qua astámus, respónsa cómitto. ℣. Magna jamprídem cum laude, & créditi mihi pópuli utilitáte, meo múnere fungebáris. Nunc quoque pro fide.

℟. *iii.* Tanta grassabátur crudélitas in Mártyris córpore, & tanta tranquíllitas proferebátur in voce, * Ut Vincéntio patiénte, non is, qui torquebátur, sed álius loqui viderétur. ℣. Tot convícta miráculis persistébat impíetas, tot vexáta supplíciis non cedébat infírmitas. Ut Vincéntio patiénte. Glória Patri. Ut Vincéntio patiénte.

In ii. Nocturno, Antiph. Levíta Vincéntius Beáto Valério dixit: Si jubes, Pater Sancte, respónsis júdicem aggrédiar.

Antiphona. Jam tibi, charíssime fili, divíni verbi curam commíseram; nunc quoque pro fide, qua astámus, respónsa commítto.

Antiphona. Omne, quod natum est ex Deo, vincit mundum, & hæc est victória, quæ vincit mundum, fides nostra.

℣. Posuísti, Dómine, super caput ejus.

℟. Corónam de lápide pretióso.

Lectio iv.

Vincéntius Oscæ in Hispánia citerióre natus, à prima ætáte stúdiis déditus, sacras Lítteras à Valério Cæsaraugustáno Epíscopo dídicit: cujus étiam partes suscépit prædicándi Evangélium, quod Epíscopus propter linguæ impediméntum prædicatiónis officio fungi non póterat. Et re ad Daciánum, Provínciæ à Diocletiáno, & Maximiáno Præpósitum, deláta Vincéntius Cæsaraugústæ comprehénditur, & unà cum Valério Epíscopo grávibus caténis vinctus ad Daciánum Valéntiam addúcitur, ubi eos in te-

tetro, ac fætido cárcere inclúsos, inédia, squalóre, vínculis férreis, ponderibúsque diù affligi fecit.

℟. Ecce jam in sublíme agor, & omnes príncipes tuos sæculo áltior, tyránne, despício: nolo glóriam meam mínuas, nec damna laudi ínferas: * Parátus sum enim ad ómnia torménta pro Salvatóris nómine sustinénda. ℣. Insúrge ergo, & vidébis me Dei virtúte plus posse, dum tórqueor, quàm possis ipse, qui torques. Parátus sum.

Lectio v.

ILlos pósteà Daciánus existimans diutúrna cárceris maceratióne afflíctos fácilè in suam senténtiam descensúros, ad se perdúci jubet: atque Epíscopum interpéllat, cur religiónis spécie jussis Imperatórum adversétur. Cui cùm Valérius miti, & compósito sermóne respondére viderétur, Vincéntius ad Epíscopum convérsus: Cur, inquit, tyránnum hunc, Pater, humíliter allóqueris? Clama voce magna, & Dei poténtiam implóra, ut supérbia hóminis istíus comprimátur. Quibus verbis exscandéscens Daciánus Epíscopum indè facit abdúci, & mox afférri ad se ómnia tormentórum génera, & illic Sanctum Diáconum crudéliter torquéri. Quare verbéribus, & æquúleo tortus, in cratícula impósitus, prunis ardéntibus suppósitis, & férreis úngulis excarnificátus, candéntibusque láminis exústus, aruínæ guttis, & crepitánti sale respérsus, cùm nulla aut tormentórum vi, aut acerbitáte, aut lenitáte verbórum à propósito deterréri posset, iterùm dedúcitur in cárcerem stratum testácei fragméntis, ut ejus nudum corpus somno oppréssum à subjéctis étiam testárum acúleis torquerétur.

℟. Ardébat Vincéntius extrínsecùs tyránni sæviéntis incéndiis. * Sed maior illum intrinsecùs Christi amóris flamma torrébat. ℣. Intrépidus Dei athléta candéntis ferri máchinam ultrò conscéndit. Sed maior illum.

Lectio vi.

VErùm illo in tenebricósa inclúso custódia, claríssimus splendor obórtus totum cárcerem illustrávit: quæ lux cùm omnes, qui aderant, summa admiratióne affecisset, res à custóde cárceris ad Daciánum defértur. Qui edúctum in molli cúlcitra cóllocat, ut aliquántulum recreátus ácriùs dénuò torquerétur; aut si amóto páululùm carnífice ánimam quiétus exhaláret, non occí-

cisus, sed mórtuus diceré-tur. Intéreà cum cæléstis Aula súscipit, atque ita ignis, ferri, tortórum immanitáte superáta, victor ad cæléstem martyrii corónam advolávit undécimo Kaléndas Februárii. Cujus corpus, cùm projéctum esset inhumátum, corvus & à volúcribus, & à lupo únguibus, rostro, alis mirabíliter defén-dit. Qua re cógnita, Daciánus illud in altum mare demérgi jubet: sed inde étiam divínitùs ejéctum ad littus Christiáni sepéliunt.

℟. Custodivit illum Dóminus ab inimícis, & à seductóribus tutávit illum, & certámen dedit illi, ut vinceret: * Et sciret quóniam poténtior est sapiéntia. ℣. Descénditque cum illo in fóveam, & in vínculis non derelíquit eum, & dedit illi claritátem ætérnam. Et sciret. Glória Patri. Et sciret.

In iii. Nocturno.

Antiphona. Applicátus torméntis Beátus Vincéntius dixit: Hoc est, quod semper optávi, & votis ómnibus exquisivi.

Antiphona. Beátus Vincéntius ad Dóminum transmísit spíritum, & divínas laudes résonant cælites.

Antiphona. Decantavérunt justi nomen tuum, Dómine, & victrícem manum tuam laudavérunt páriter.

℣. Magna est glória ejus in salutári tuo.

℟. Glóriam, & magnum decórem impónes super eum.

Léctio Sancti Evangélii secúndùm Joánnem.

Lectio vii. *Cap.* 12. d

IN illo témpore: Dixit Jesus Discípulis suis: Amen, amen, dico vobis, nisi granum fruménti cadens in terram mórtuum fúerit, ipsum solum manet. Et réliqua.

Homilía Sancti Augustíni Epíscopi.

Tract. 15. *in Joann. sub medium.*

IPse Dóminus Jesus erat granum mortificándum, & multiplicándum; mortificándum infidelitáte Judæórum, multiplicándum fide populórum. Jam verò exhórtans ad passiónis suæ sectánda vestígia. Qui amat, inquit, ánimam suam, perdet eam. Quod duóbus modis intélligi potest. Qui amat, perdet: id est, si amas, perdes. Si cupis vitam tenére in Christo, noli mortem timére pro Christo. Item álio modo: Qui amat ánimam suam, perdet eam: noli amáre, ne perdas: noli amáre in hac vita, ne perdas in ætérna vita.

℟. Be-

℟. Beátus Christi athléta horréndo clausus ergástulo, Angelórum frequéntia, & lúminis claritáte relevátus, hymnum canébat: * Ac divína vallátus grátia Angélico fovebátur obséquio. ℣. Agnóscit Vincéntius invictíssimus pro Christi nómine decertásse, mox depósito ónere carnis, almis cætibus se esse addéndum. Ac divína.

Lectio viii.

HOc autem, quod postérius dixi, magis habére vidétur Evangélicus sensus. Séquitur enim: Et qui ódit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam. Ergo, quod suprà dictum est, qui amat, (subintelligitur, in hoc mundo) ipse útique perdet: qui autem odit, (útique in hoc mundo) in vitam ætérnam ipse custódit eam. Magna, & mira senténtia, quemádmodum sit hóminis in ánimam suam amor ut péreat, ódium ne péreat. Si malè amáveris, tunc odísti: si benè óderis, tunc amásti. Felices qui odérunt custodiéndo, ne perdant amándo.

℟. Cógnito sancto ejus abscéssu, judex insánus feris, & cánibus invícti Mártyris corpus prójici mandat lictóribus, sed míttitur avis inimica cadavéribus, expósitas dapes servatúra jejúna: * Ut majóris victóriæ Vincéntio grátia conferátur. ℣. Datur nautis mergéndum corpus in flúctibus: sed qui spíritus intúlerat in Cælum, mox rétulit ad sepúlchrum. Ut majóris victóriæ. Glória Patri. Ut majóris victóriæ.

Lectio ix.

SEd vide ne tibi subrépat, ut te ipsum velis interimere, sic intelligéndo quòd debes odisse in hoc mundo ánimam tuam. Hinc enim quidam malígni, atque pervérsi hómines, & in se ipsis crudelióres, & sceleratióres homicídæ flammis se donant, aquis se præfócant, præcipitio se collidunt, & péreunt. Hoc Christus non dócuit: imò étiam diábolo præcipitium suggeréntì respóndit: Vade retrò Sátana: scriptum est: Non tentábis Dóminum Deum tuum. Petro autem dixit, significans qua morte clarificatúrus erat Deum: Cùm esses júnior, cingébas te, & ambulábas quò volébas: cùm autem senúeris, alter te cinget, & feret quò tu non vis. Ubi satis expréssit non à se ipso, sed ab álio debére occídi, qui vestigia séquitur Christi.

Te Deum laudámus.

AD

AD LAUDES,

& per Horas. *Antiphon.*

VIncénti dabo édere de ligno vitæ; quod est in Paradiso Dei mei.

Psalmus. Dóminus regnávit, *cum reliquis de Dominica.*

Antiphona. Vincénti dabo manna abscónditum, & dabo illi cálculum cándidum.

Antiphona. Qui vicerit, & custodierit usque in finem ópera mea, dabo illi potestátem super gentes.

Antiphona. Qui vicerit, fáciam illum colúmnam in templo Dei mei.

Antiphona. Qui vícerit, dabo ei sedére mecum in throno meo; sicut & ego vici, & sedi cum Patre meo in throno ejus.

Capitulum. *Hebr.* 11.

SAncti per fidem vicérunt regna, operáti sunt justitiam, adépti sunt repromissiónes.

Hymnus.

VIncénti adésto, & pércipe.
Voces precántum súpplices
Nostri reátus éfficax
Orátor ad thronum Patris.
Per ter,per illũ cárcerem,
Honóris augméntum tui,
Per vincla, flammas, úngulas
Per carcerálem stipitem:
Per fragmen illud tésteũ,
Quo parta crevit glória,
Per quem treméntes pósteri
Exosculántur léctulum.
Miserére nostrárũ precũ,
Placátus ut Christus suis
Inclinet aurem prósperam,
Noxas nec omnes imputet.
Si ritè solémnem diem
Venerámur ore, & péctore,
Si sub tuórum gáudio
Vestigiórum stérnimur:
Paulisper huc tu illábere
Christi favórem déferens,
Sensus graváti ut séntiant
Levámen indulgéntiæ.
Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Filio,
Cum Spiritu Paráclito
Et nunc, & omne in sæculum. Amen.

℣. Justus ut palma florébit.

℟. Sicut cedrus Libani multiplicábitur.

Ad Benedictus, *Antiphona.* Beatus Vincéntius, cùm in ligno suspénsus dilaniarétur. Daciánus dixit: Ecce jam in sublíme agor, & omnes Principes tuos sæculo áltior, tyránne, despício, parátus ad ómnia pro Salvatóris nómine sustinénda.

Oratio. Adésto, Dómine, *ut in primis Vesperis.*

Ad Tertiam, *Antiphona.* Vincénti dabo.

Capitulum. Sancti per fidem.

℟. *breve.* Glória, & honóre, * Coronásti eum, Dómine. Glória.

℣. Et constituísti eum super

per ópera mánuum tuárum. Coronásti. Glória Patri. Glória, & honóre.

℣. Posuísti, Dómine, super caput ejus.

℞. Corónam de lápide pretióso.

Ad Sextam, Antiphona. Qui vícerit.

Capitulum.

ALii autem distÉnti sunt, non suscipiéntes redemptiónem, ut melhórem invenirent resurrectiónem.

℞. *br.* Posuísti, Dómine, * Super caput ejus. Posuísti. ℣. Corónam de lápide pretióso. Super. Glória Patri. Posuísti.

℣. Magna est glória ejus in salutári tuo.

℞. Glóriam, & magnum decórem impónes super eum.

Ad Nonam, Antiphona. Qui vícerit.

Capitulum.

ALii verò ludíbria, & vérbera expérti, ínsuper & víncula, & cárceres: lapidáti sunt, secti sunt, tentáti sunt, in occisióne gládii mórtui sunt.

℞. *br.* Magna est glória ejus * In salutári tuo. Magna. ℣. Glóriam, & magnum decórem impónes super eum. In salutári. Glória Patri. Magna.

℣. Justus ut palma florébit.

℞. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

In ii. Vesper. ut in primis: sed loco ultimi, Psalm. Crédidi. ℣. Justus ut palma florébit. ℞. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Ad Magnificat, Antiphona. Jubet ínvida mens leniórís strati fulcra substítui, quasi non eum pœna perémerit, cum quo & pœna simul perierat. Intéreà Beátum Vincéntium cæléstis Aula súscipit, ad cujus ingréssum Angélici lætántur spíritus, omnésque simul concives gratulántur Sancti.

Oratio. Adésto, Dómine.

Fit commem. Despons. B. Mariæ, ut in Breviario.

Posteà S. Joseph, Antiph. Exúrgens Joseph à somno fecit sicut præcépit ei Angelus Dómini, & accépit cónjugem suam.

℣. Constítuit eum dóminum domus suæ.

℞. Et príncipem omnis possessiónis suæ.

Oratio.

SAnctíssimæ Genitrícis tuæ Sponsi, quæsumus, Dómine, méritis adjuvémur: ut quod possibílitas nostra non óbtinet, ejus nobis intercessióne donétur. Qui vivis & regnas.

DIE XXIII. JANUARII.

Despons. B. Mariæ, ut in Brev. cum commem. S. Joseph. in Laud. Antiphona. Ipse Jesus

sus erat incipiens, quasi annórum triginta, ut putabátur, filius Joseph.

℣. Os justi meditábitur sapientiam.

℟. Et lingua ejus loquétur judícium.

Oratio ut suprà.

In ii. Vesper. Antiphona pro S. Joseph. Ecce fidélis servus, & prudens, quem constituit Dóminus super familiam suam.

℣. Glória & divítiæ in domo ejus.

℟. Et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

DIE XXIV. JANUARII.

Tertia die infra Octava Sancti Vincentii, semid.

In i. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Sermo Sancti Augustini Episcopi.

Serm. 3. de S. Vinc.

Lectio iv.

IN passióne, quæ nobis hódie recitáta est, fratres charíssimi, evidénter osténditur judex ferox, tortor cruéntus, Martyr invíctus; in cujus córpore pœnis váriis exaráto, jam torménta defécerant, & adhuc membra durábant: tot convícta miráculis persistébat impíetas; tot vexáta supplíciis non cedébat infírmitas. Agnoscátur ergo operáta divínitas: quando enim corruptíbilis pulvis, contra tam immánia torménta duráret, nisi in eo Christus habitáret? In his enim ómnibus ille agnoscéndus, ille glorificándus, ille laudándus est, qui & in prima vocatióne dedit fidem, & in supréma passióne virtútem. Vultis nosse quia utrúmque donátum est? Audite Apóstolum Paulum: Vobis, inquit, datum est pro Christo, non solùm ut credátis in eum: verùmétiam ut patiámini pro eo. Accéperat útraque hæc Beátus Vincéntius Levíta: accéperat, & habébat. Si enim non accepísset, quid habéret? habébat in sermóne fidúciam, habébat in passióne toleràntiam.

℟. Ecce jam. 10.

Lectio v.

QUid ergo mirámur, charíssimi si in illo Vincéntius vicit, à quo victus est mundus? In hoc, inquit, mundo pressúram habébitis: ut si premit, non ópprimat, si oppúgnat, non expúgnet. Dúplicem mundus áciem prodúcit contra mílites Christi: blanditur ut decipiat, terret ut frangat. Non nos téneat volúntas própria, nos non térreat crudélitas aliéna, & victus est mundus; ad utrósque áditus occúrrit Christus.

stus, & non vincitur Christianus. Si considerétur in ista passióne humána patiéntia, incipit esse incredíbilis: si agnoscátur divína poténtia, désinit esse mirábilis. Tanta grassabátur crudélitas in Mártyris córpore, & tanta tranquíllitas proferebátur in voce, tantaque pœnárum aspéritas sæviébat in membris, ut miro modo putarémus, Vincéntio patiénte, álium loquéntem non torquéri. Et verè fratres ita erat, prorsus ita erat; álius loquebátur. Promísit enim & hoc téstibus suis Christus in Evangélio, quos ad hujúsmodi certámina præparábat. Sic enim ait: Nolíte præmeditári quómodo, aut quid loquámini; non enim vos estis, qui loquímini; sed Spíritus Patris vestri lóquitur in vobis. Caro ergo patiebátur, & spíritus loquebátur.

℟. Ardébat Vincéntius. 10.

Lectio vi.

CLariórem nobis Mártyrem tot torménta faciébant; multíplici enim vúlnerum varietáte confóssus, non deferébat pugnam, sed ácriùs iterábat. Putáres, quòd cùm duráret flamma, non úreret; & tanquam fíguli fornax, lutum molle suscípiens, duram rédderet testam. Póterat Martyr noster dícere Daciáno: Jam non uret ignis tuus carnem meam, quia exáruit sicut testa virtus mea. Et quómodò scriptum est veráciter: Vasa fíguli probat fornax, & hómines justos tentátio tribulatiónis: probátus est, atque decóctus illo igne Vincéntius; Daciánus verò arsit, & crépuit. Si enim non ardébat, unde cremábat: Quid enim erant verba irascéntis, nisi fumus ardéntis? Ergo Mártyri nostro refrigérium in corde habénti flammas extrínsecùs admovébat: sed ipse fácibus furóris accénsus, tamquam clíbanus, intùs ardébat; & habitatórem suum diábolum concremábat.

℟. Custodívit. 11.

In tertio Nocturno.

Léctio Sancti Evangélii secúndùm Joánnem.

Lectio vii. Cap. 12. d

IN illo témpore: Dixit Jesus Discípulis suis: Amen, amen, dico vobis, nisi granum fruménti cadens in terram mórtuum fúerit, ipsum solum manet. Et réliqua.

De Homilía Sancti Augustíni Epíscopi.

CUm ergo causæ artículus vénerit, ut hæc condítio proponátur, aut faciéndum esse contra Dei præcéptum, aut ex hac vita

ta emigrándum, quorum duórum homo si cogátur álterum eligere, comminánte mortem persecutóre, ibi éligat Deo dilécto émori, quam offénso vivere. Ibi óderit in hoc mundo ánimam suam, ut in vitam ætérnam custódit eam. Si quis mihi ministrat, me sequátur. Quid est, Me sequátur; nisi, Me imitétur? Christus enim pro nobis passus est, ait Apóstolus Petrus, relínquens nobis exémplum, ut sequámur vestigia ejus.

℟. Beátus Christi athléta. 12.

Lectio viii.

Ecce quod dictum est: Si quis mihi ministrat, me sequátur. Quo fructu? Qua mercéde? Quo præmio? Et ubi sunt, inquit, ego, illic & miníster meus erit. Gratis amétur, ut óperis, quo ministrátur illi, prétium sit esse cum illo. Ubi enim benè erit sine illo? aut quando malè esse póterit cum illo? Audi evidéntiùs: Et si quis mihi ministráverit, honorificábit eum Pater meus. Quo honóre, nisi ut sit cum filio ejus? Quod enim supériùs ait: Ubi ego sum, illic & miníster meus erit, hoc intellígitur exposuísse, cùm dicit: Honorificábit eum Pater meus. Nam quem majórem honórem accípere póterit adoptátus, quàm ut sit ubi est únicus, non æquális factus divinitáti, sed consociátus æternitáti?

℟. Cógnito sancto. 12.

Lectio ix.

Quid sit ministráre Christo, cui óperi merces tanta propónitur, hoc pótius debémus inquírere. Si enim hoc putavérimus esse Christo ministráre, ea, quæ sunt córpori necessária, præparáre, aut cœnánti cibum cóquere, vel appónere, vel póculum dare, potúmque miscére: fecérunt hoc illi, qui potuérunt eum in córpore habére præséntem: sicut Martha, & María, quando & Lázarus unus erat ex discumbéntibus. Sed eo modo Christo étiam Judas pérditus ministrávit. Nam & lóculos ipse habébat: & quamvis ex eis, quæ mittebántur, sceleratíssimè furarétur, per illum tamen étiam necessária parabántur.

Te Deum laudámus.

Vesperæ de sequenti, cum commem. S. Petri, & Octav.

DIE XXV. JANUARII.

Quarta die infra Octavam, fit de Conversione Sancti Pauli Apostoli.

DIE XXVI. JANUARII.

Quinta die infra Octav. semiduplex.

In i. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Sermo S. Augustini Episc. *Serm.* 1. *de Sancto Vincentio.*

Lectio iv.

MAgnum spectáculum spectávimus óculis fidei, Mártyrem Sanctum Vincéntium ubique vincéntem. Vicit in verbis; vicit in pœnis: vicit in confessióne; vicit in tribulatióne; vicit exústus in ígnibus; vicit submérsus in flúctibus; postrémò vicit tortus, vicit mórtuus. Quando caro ejus, in qua erat trophæum Christi victóris, de navicula mittebátur in mare, tácitè dicébat: Dejícimur, sed non perimus. Quis istam patiéntiam míliti suo donávit, nisi qui pro illo prior sánguinem fudit? Cui dícitur in Psalmo: Quóniam tu es patiéntia mea, Dómine, spes mea à juventúte mea. Magnum certámen magnam cómparat glóriam, non humánam, nec temporálem, sed divínam, & sempitérnam. Fides pugnat: è quando fides pugnat, carnem nullus expúgnat.

℟. Ecce jam, 10.

Lectio v.

MUlti toleravérunt dolóres pertinácia, non constántia; vítio, non virtúte; pravo erróre, non recta ratióne; diábolo possidénte, non persequénte. In nostro autem vincénte Vincéntio ille quidem vincébat, qui possidébat; sed ille possidébat, qui príncipem hujus mundi míserat foras: ut étiam pugnans extrínsecùs superarétur, qui jam fúerat superátus, ne intùs dominarétur. Ille quippe, qui missus est foras, non cessans, tamquam leo rúgiens, círcuit requiréndo quem dévoret; sed eum expúgnat ille pro nobis, qui, eo exclúso, regnat in nobis. Dénique magis diábolus, non victo Vincéntio, quàm Vincéntius, persequénte diábolo, torquebátur.

℟. Ardébat. 10.

Lectio vi.

QUantò enim erant illa truculentióra, & exquisitióra torménta, tantò magis tortus de torquénte triumphábat: & ex illa carne, tamquam ex terra suo sánguine irrigáta, de qua plus dolébat inimícus, palma crescébat. Sed quia ille laténter sævit, & laténter victus affligitur; manifésté appáret in Præside hómine, quid in occúlto

to diábolus paterétur ; & ille invisíbilis adversárius per sui vásculi, quod impléverat, crepántis rímulas prodebátur. Voces enim hujus hóminis, óculi, vultus, & turbuléntus totíus córporis motus indicábant, quàm gravióra torménta sentíret intériùs, quàm erant quæ Mártyri insligebántur extérius. Si considerémus perturbatiónem torquéntis, & tranquillitáté torménta patiéntis ; vidére facíllimum est ; quis erat sub pœnis, quis supra pœnas.

℟. Custodívit. 11.

In tertio Nocturno.

Léctio Sancti Evangélii secúndùm Joánnem.

Lectio vii. *Cap.* 12. d

IN illo témpore: Dixit Jesus Discípulis suis : Amen, amen dico vobis, nisi granum fruménti cadens in terram mórtuum fúerit, ipsum solum manet. Et réliqua.

De Homilía Sancti Augustíni Epíscopi.

NUllo modo ígitur de hujuscémodi minístris díceret Dóminus : Ubi sum ego, illic & miníster meus erit ; &, Si quis mihi ministráverit, honorificábit eum Pater meus ; quóniam Judam tália ministrántem, reprobátum pótiùs, quàm honorátum vidémus. Ut quid ergo álibi quærimus, quid sit ministráre Christo, & non pótiùs in istis ipsius verbis agnóscimus ? Cùm enim dixit : Si quis mihi minístrat, me sequátur, hoc intélligi vóluit, ac si díceret : Si quis me non séquitur, non mihi minístrat, minístrant ergo Jesu Christo, qui non sua quærunt, sed quæ Jesu Christi.

℟. Beátus Christi. 12.

Lectio viii.

MInister est Christi usque ad illud opus magnæ charitátis, quod est ánimam suam pro frátribus pónere : hoc est enim & pro Christo pónere ; quia & hoc propter sua membra dictúrus est : Cùm pro istis fecístis, pro me fecístis. De tali quippe ópere étiam se minístrum fácere, & appelláre dignátus est, ubi ait : Sicut filius hóminis non venit ministrári, sed ministráre, & ánimam suam pónere pro multis. Hinc est ergo unusquísque miníster Christi, unde est miníster & Christus. Sic ministrántem Christo honorificábit Pater ejus honóre illo magno, ut sit cum Fílio ejus, nec unquam defíciat felícitas ejus.

℟. Cógnito sancto. 12.

Lectio ix.

CUm ergo audítis, fratres, Dóminum dicén-

tem: Ubi ego sum, illic & minister meus erit; nolite tantúmmodò bonos Epíscopos, & Cléricos cogitáre. Etiam vos pro módulo vestro ministráte Christo, benèvivéndo, eleemósynas faciéndo, nomen, doctrinámque ejus, quibus potuéritis, prædicándo: ut unusquisque étiam paterfamilias hoc nómine agnóscat patérnum affectum suæ familiæ se debére. Pro Christo, & pro vita ætérna suos omnes admóneat, dóceat, hortétur, corripiat, impéndat benevoléntiam, exérceat disciplinam: ita in domo sua Ecclesiásticum, & quodámmodò Episcopále implébit officium ministrans Christo, ut in ætérnum sit cum ipso.

Te Deum laudámus.

Vesperæ de sequenti, cum commemor. Octavæ.

DIE XXVII. JANUARII.

Sexta die infra Octavam.

Fit de S. Joanne Chrysostomo, duplex, Vesperæ à Capitulo de sequenti, cum commemoratione Octavæ, & Sanctæ Agnetis.

DIE XXVIII. JANUARII.

In Festo Sancti Gundisalvi Confessoris, duplex.

Omnia de Communi Confessoris non Pontificis, præter ea, quæ sequuntur.

In Hymno Iste Conféssor *mutatur tertius versus.*

Oratio.

Deus, qui Beáti Gundisálvi Confessóris tui mentem, sancti Nóminis tui amóre mirabíliter inflammásti: concéde, quæsumus; ut illius vestigiis inhæréntes, semper te cogitémus, quæque tibi grata sunt, inflammáto stúdio faciámus. Per Dóminum.

In primo Noct. Lectiones de Scriptura occurrente.

In Quadragesima Beatus vir, &c. *de Communi secundo loco.*

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Gundisálvus peregrinántium, Anachoretárum, & Prædicatórum illústre spéculum, Athanagilde in Lusitánia nobilibus, ac piis paréntibus natus est. Ad ipso suscépto baptísmate, atque adhuc infántulus, suæ erga Christi, Deíparæ, ac Sanctórum imágines, religiónis indícia præbuit. A devóto Præsbytero virtútū, ac literárum rudiméntis imbútus, adolescéntiam sub doméstica Bracharénsis Archiepíscopi disciplina sanctè perégit. A quo demùm initiátus Sacerdótio, Ecclésiæ Sancti Pelágii super Viséllam Præféctus est. Hoc in múnere virtútum ómnium exémplo Pastóris óptimi par-

partes explévit. Antístitis sui accépta vénia, relictóque Vicário in peragrándis, ac inviséndis Hierosolymitánis, ac Románis sacráriis quatuórdecim annos impéndit. Ad própria demum revérsus, & à Vicário suo, quem ob páuperum eleemósynas in próprium luxum convérsas, duré incrépuit, minis, ac fústibus excéptus eremiticam vitam elégit; Amarantúmque secédens, extrúcto in honórem Deíparæ sacéllo, solitárius hæsit, & vicinæ plebi instruéndæ se devóvit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, & custodívit eum ab inimícis, & à seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, & osténdit illi Regnum Dei. Et dedit illi.

Lectio v.

AD vitæ genus Deíparæ acceptíssimum aspírans, íntegram Quadragésimam solo pane, & aqua transégit, eámdem ardentíssimis précibus interpéllans, ut voluntátem suam hac in re apérto signo testarétur. Res ei pro voto cessit, designatúmque Prædicatórum Ordinem proféssus est. Exácto Religiónis tyrocínio, statim ei prædicatiónis munus impónitur: proque uberióri animárum lucro Amarántum, sócio Religiónis adjúncto, remíttitur. Inter ália miríﬁca, quibus totam illam regiónem rápuit, prodigiósum opus aggréssus est. Cum precáriis subsídiis periculóso flúmini Támagæ pontem sáxeum arcuátæ molis instrávit, loco quidem impérvio, sed sibi per Angelum designáto. Operários elícitis è petra copiósis vini fluéntis potávit sæpiùs; pisces quoque in eórum alimóniam, quotquot sufficerent, ad ripam plúries evocávit, & obsequéntes ad manum hábuit. Post multos ab óbitu suo annos eúmdem pontem désuper ómnibus conspícuus ab inevitábili exítio servávit.

℟. Amávit eum Dóminus, & ornávit eum: stolam glóriæ induit eum, * Et ad portas Paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, & ornávit eum. Et ad portas.

Lectio vi.

ECclesiástici anathématis fulmen impiè subsannántes sub concióne público miráculo detérruit. Demùm Vir sanctus annis, & labóribus Evangélicis fractus óbitum imminéntem divína revelatióne cognóvit. Quem suscéptis Sacramén-

méntis lætus aſpéxit, Virginis Deiparæ, & aſtántium cælitum viſióne recreátus. Ejus corpus ad hanc uſque diem miráculis corúſcat: ac frequentiſſimo pópuli concúrſu celebrátur. Beáti Gundisálvi diem ſolémnem habéri primùm Luſitániæ Clero conceſsére Románi Pontífices Július Tértius, & Pius Quartus, compérta ac probáta ſanctitátis ejus fama per Júdices Apoſtólicos. Tandem eámdem conceſſiónem Clemens Décimus de consílio Congregatiónis Sacrórum Rituum ad univérſum Prædicatórum Ordinem exténdit.

℟. Iſte homo perfécit ómnia, quæ locútus eſt ei Deus, & dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi juſtum coram me ex ómnibus Géntibus. ℣. Iſte eſt, qui contémpſit vitam mundi, & pervénit ad cæleſtia Regna. Quia te. Glória Patri. Quia te.

In tertio Nocturno.

Léctio Sancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio vii. Cap. 11. d

IN illo témpore reſpóndens Jeſus, dixit: Confiteor tibi Pater, Dómine cæli, & terræ, quia abſcondíſti hæc à ſapiéntibus, & prudéntibus, & reveláſti ea párvulis. Et réliqua.

Homilía Sancti Joánnis Chryſóſtomi.

Homilia 39. in Matth. t. 2.

QUod hic, Confiteor, dixit, idem valet, quod grátias ago. Grátias, inquit, tibi ago, quóniam à prudéntibus, & ſapiéntibus hæc celáſti. An igitur perditióne illórum gaudére ipſum dicémus, & quóniam illi hæc non didícere? Minimè. Non ergo quia ſapiéntes non cognovérunt, gaudet, ſed quia párvuli percepérunt, lætátur. Ita & Paulus dicit: Grátias ago Deo meo, quóniam fuíſtis ſervi peccáti, obediſtis autem ex corde, in quam tráditi eſtis formam doctrínæ. Non ergo Paulus proptéreà gaudet, quia erant ſervi peccáti; ſed quia, cùm eſſent hujúſmodi, veritátis cultóres facti ſunt.

℟. Iſte eſt, qui ante Deum magnas virtútes operátus eſt, & de omni corde ſuo laudávit Dóminum: * Ipſe intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo ſine queréla, verus Dei cultor; ábſtinens ſe ab omni ópere malo, & pérmanens in innocéntia ſua. Ipſe intercédat.

Lectio viii.

PRudéntes autem hic Scribas, & Phariſæos appéllat, quibus verbis alacrióre reddit diſcípulos, cùm

cùm intélligant illa se piscatóres esse consecútos, à quibus illi summi, ut videbántur, viri excidérunt. Cùm autem sapiéntes dixerit, non illam veram laudábilem sapiéntiam intélligit, sed hanc, quæ sæculári doctrína præstátur. Idcircò étiam non dixit: Stultis revelásti, sed párvulis: quasi non formátis adhuc, sed simplícibus.

℟. Sint lumbi vestri præcincti, & lucérnæ ardéntes in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus expectántibus dóminum suum, quando revertátur à nuptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescitis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et vos. Glória Patri. Et vos.

Nona Lectio S. Agnetis secundò, in Breviario. Si verò requir. propria erit sequens.

Lectio ix.

ITa osténdit non indígnè illos, sed jure his rebus fuisse privátos: ac per ómnia nos docet flatum supérbiæ omninò esse fugiéndum, ac simplicitátem æmulándam. Quod Paulus amplióribus verbis scribit, dicens: Si quis in vobis vidétur in hoc sæculo sápiens esse, is fiat stultus, ut sápiens efficiátur; sic enim grátia Dei monstrátur. Cur verò grátias agit Patri, cùm ipse illud fécerit? Sicut orat, & intercédit pro nobis ad Deum, magnam erga nos declárans charitátem, sic étiam & hoc ex charitátis fervóre péragit.

Te Deum laudámus.

In Laudibus fit commem. S. Vincentii Mart. & S. Agnetis secundò.

Vesperæ à Capitulo de Octav. S. Vincentii Martyris, ut in primis Vesperis ejusdem, & fit commemoratio S. Gundisalvi.

DIE XXIX. JANUARII.

Octava S. Vincentii Mart. duplex.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Sermo Sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 4. de S. Vincent.

Lectio iv.

COgnito Sancto Mártyris abscéssu, Judex insánus, & quia Christus vicisset in Vincéntio néscius Daciánus, illius sibi promíttit cadáveris expositióne vindíctam, cujus gemit ex virtúte victóriam. Feris namque, & cánibus decépta furóris supérbia absunéndum prójicit mandat lictóribus, ut tali pastu eórum impléret ventrem, quorum ipse gerébat mentem; sed ut divínis excrescéntibus benefíciis,

ciis, majóris victóriæ Vincéntio grátia conferátur, míttitur corvus, avis inimíca cadavéribus, expólitas córporis dapes servatúra jejúna. Elías quondam ímpias Acab, vel Jezabélis manus cautè declínans, in desérto corvis ministrántibus páscitur: assértor autem veritátis Vincéntius Daciáni rábie peréptus, feris expónitur consuméndus; sed corvo famulánte servatur illæsus. Obtinuit ergo Elías divíno nutu, corvis præstántibus, quo alerétur; præstitum est Vincéntio, obsequénte quoque corvo, ne comederétur.

℟. Ecce jam. 10.

Lectio v.

Qui ut cælitus se custódem designátum osténderet adventántes réliquas aves éminus non segni ímpetu perturbábat. Inter quas immánem quoque lupum própiùs accedéntem, véluti qui commissum thesáurum sacrilega audácia attamináre præsúmeret, pennis, & alis devérberans, procul abégit. Sed ille, quòd non tam ad inferéndam venisset injúriam, quàm ad augéndum miráculi pompam, quadam sui habitúdine stúpidus indicábat. O imprúdens furor, & stulta vesánia? Corvus obséquitur, lupus venerátur, Daciánus perséquitur: nec erubéscit velle se adhuc ferox pérdere, quem mansuefácta bestiális féritas satagébat protégere.

℟. Ardébat. 10.

Lectio vi.

Unde ad occuléndam Mártyris laudem non jam secrétum, sed profúndum elégit, credens sibi ad delitescéndam ejus glóriam, non claustra fidem servatúra, sed mária. Quasi non idem eleménti. Dóminus esset, per quem dudum ei cárceris ábdita cælésti fulgóre radiáta micuissent, datur nautis mergéndum corpus in flúctibus, ut ad auxiliū saltem æquora proficerent, cui ad vincéndum Christi mílitem terra defecísset. Enavigátis itaque magna ex parte freti gurgítibus, projéctum inter sorbéntes undas præpotens est Dei déxtera consecúta; & quæ spíritum intúlerat in cælum, corpus mox rétulit ad sepúlchrum.

℟. Custodivit. 11.

In tertio Nocturno.

Léctio Sancti Evangélii secúndùm Joánnem.

Lectio vii. *Cap.* 12. d

In illo témpore: Dixit Jesus Discípulis suis: Amen, amen dico vobis, nisi granum fruménti cadens in terram mórtuū fúerit, ipsum solum manet. Et réliqua.

Ho-

Homilia Sancti Augustíni Epíscopi.

Sermon. 37. *lib.* 50. *Homil.*

MOdò, fratres charissimi, cùm divina léctio legerétur, audívimus Dóminum dicéntem: Qui amat ánimam suam, pérdet illam. Huic senténtiæ quasi contrárium vidétur esse, quod ait Apóstolus: Nemo unquam carnem suam ódio hábuit. Si ergo nemo est, qui carnem suam óderit, quantò magis nemo est, qui óderit ánimam suam? Multùm quippè ánima carni præpónitur; quia ipsa est habitátrix, caro habitáculum. Et ánima dominátur, caro autem servit, ánima supérior est, caro subjécta.

℟. Beatus. 12.

Lectio viii.

SI ergo nemo unquam carnem suam ódio hábuit, quis est, qui ánimam suam óderit? Propter hoc non parvam quæstiónem nobis íntulit præsens Evangélica léctio, ubi audívimus: Qui amat ánimam suam, perdet illam. Sunt ergo, qui pervérsè ánimã suam amant; & hoc vult Dei sermo corrígere, non ut óderint ánimam suam, sed ut rectè díligant. Malè enim diligéndo perdunt eam; & si quiddam magnum quasi præpósterum & contrárium; sed ità tamen fit, ut si díligas eam pervérsè, perdas illam; si óderis illam rectè, consérves illam. Est ergo quidam pervérsus amor ejus, & quoddam rectũ ódium ejus: sed amor pervérsus ab ódio, ódium rectum ab amóre est.

℟. Cógnito. 12.

Lectio ix.

QUis igitur modus diligéndi ánimam? Putátis, Mártyres non amábant ánimas suas? Vidétis certè modo, si cujus vita præséntis sæculi periclitétur, quómodò amici ejus cúrrunt pro ea, quómodò cúrritur ad Ecclésiam, rogátur Epíscopus, ut intermíttat, si quas habet, actiónes, currat, festínet. Quare? Pro ánima, & omnes contremíscunt: ómnibus cæteris rebus intermíssis, festinándum esse decérnunt. Omnis festinátio laudátur, omnis tardátio accusátur. Quare? Pro ánima. Quid est pro ánima? Ne moriátur homo. Non nóverant Mártyres amáre ánimas suas; & tamen hoc est pro ánima, ne moriátur homo. Mors hóminis iníquitas est. Si curris pro hac vita centum míllia, quot míllia debes cúrrere pro vita ætérna?

Te Deum laudámus.

FES-

FESTA FEBRUARII.

DIE XI. FEBRUARII.

In Festo S. Ildefonsi Episc. & Confess. duplex maius.

Omnia dicuntur de Communi Confess. Pontif. præter ea, quæ sequuntur.

Oratio Exáudi, *& Lect. primi Nocturni* Fidélis sermo, *de eodem Communi.*

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

ILdefónsus Toléti nobilíssimis Stéphano, & Lúcia paréntibus ortus, omníque cura nutrítus, liberálibus disciplínis instrúctus est. Primùm hábuit præceptórem Eugénium Toletánum Antístitem, à quo ob præcláram índolem Hispalim ad Isidórum, mira tunc eruditióne floréntem, est missus. Duódecim apud Isidórum commorátus annos, tandem fruge bona, doctrínaque sana imbútus, Tolétum remeávit ad Eugénium. Postquàm verò factus est ob vitæ candórem, peritiámque non vulgárem ab Eugénio Archidiáconus, mundi cúpiens láqueos declináre, in Agaliénsi Monastério, quod Cosmæ tunc erat, & Damiáno dicátum, insígne pietátis cucúllum induit. Cui neque paréntes jam prece, jam vi ómnia tentántes, obsístere valuérunt, quin constánter in propósito permanéret.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, & fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Lectio v.

MOnachi non multò post in demórtui Abbátis locum subrogárunt; suspiciébant síquidem in eo (præter virtútes réliquas) æquitátem, morum facilitátem, prudéntiam, raram sanctitúdinem. Tantus itaque fulgor, tanta vera pietátis lux (quod ipse timébat) latére non pótuit. Eugénio namque vita functo, Cleri, Senátus, totiúsque pópuli lætítia Toletánus Archiepíscopus est creátus. In quo quidem Præsulátu quantum verbo Ildefónsus profécerit, quæ mirácula edíderit; quàm religiósè Sanctíssimam Vírginem Dei Matrem colúerit, non fácilè quis explicáre quíverit. Cœnóbium Vírginum in Deilfénsi víllula ædificávit, ac magnis munéribus auxit. Hæréticos quosdam, qui in Hispánia hæresim Elvidiánam tolléntem perpétuam Maríæ Dei Genitrícis virginitátem dissemi-

minábat, doctíssimè confutávit, ab Hispániaque dépulit: quam disputatiónem explicavit libro, quem scripsit de Mariæ virginitáte, rem miráculo confirmánte. Cùm enim Ildefónsus ad preces Matutínas festi Expectatiónis Beátæ Mariæ in Ecclésiam nocte descénderet, cómites ejus in Ecclésiæ límine fulgóre quodam repentíno detérriti retrocessérunt. Ille verò intrépidus ad aram progréssus, Vírginem ipsam vidit, & adorávit: ab eádemque vestem, qua in Sacrificiis uterétur, accépit.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, & exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus enim.

Lectio vi.

CUm étiam dies Sanctæ Leocádiæ festus agerétur, & Clerus frequénsque pópulus convenisset, Ildefónsus ad sepúlchrum Vírginis Leocádiæ accédens, flexis suppliciter génibus precabátur. Et ecce referáto repéntè sarcóphago, Leocádia sanctíssima pródiit, vidéntibusque cunctis, & audiéntibus, Ildefónsi mérita de Vírgine María commendávit, dicens: O Ildefónse, per te vivit Dómina mea, quæ cæli cúlmina tenet. Et Præsule collaudáto, redibat. Ildefónsus, ne res sine téstibus tanta pósteris referrétur, arrépto Reccesvinthi Regis, qui fortè tunc áderat, gladiolo, veláminis partem, quo caput Leocádiæ tegebátur, resécuit: eámque cum régio simul cultro célebri pompa in sacrárium íntulit, ubi usque hódie servátur. Scripsit multa luculentióre sermóne, quorum váriis molestiárum occupatiónibus impedítus, áliqua cœpta, áliqua semipléna relíquit. Obiit tandem Ildefónsus feliciter, ac sanctè, cùm sedísset in Episcopátu annos novem, menses duos: sepultúsque est in Basílica Leocádiæ anno Dómini sexcentésimo septuagésimo séptimo. Cujus corpus in generáli à Saracénis Hispaniárum occupatióne in Civitátem Zamorénsem translátum est, & in Ecclésia Beáti Petri honorificè cónditum, magna illíus pópuli religióne cólitur.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, & omnis terra doctrína ejus repléta est: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, & pervénit ad cæló-

léstia Regna. Ipse. Glória Patri. Ipse.

In tertio Nocturno, Homilia in Evangelium Vos estis sal terræ, *de Communi Doctorum.*

℟. *viii.* In médio Ecclésiæ apéruit.

DIE XIII. FEBRUARII.

In Festo S. Anastasii Mart. semiduplex.

Omnia de Communi unius Martyris, præter ea, quæ hic habentur.

Oratio.

Adésto, Dómine, supplicatiónibus nostris: ut qui ex iniquitáte nostra reos nos esse cognóscimus, Beáti Mártyris tui Anastásii intercessióne liberémur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum, &c.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente; in Quadragesima verò de Communi plurimorum Martyrum.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Anastásius Persa, insígnis præstigiatóris fílius, ab ineúnte ætáte mágicis ártibus sub iníquo parénte óperam dedit. Sed animadvértens prodígia, quæ sacrosáncta Christi Crux in Pérsidem à Cósroa Rege transportáta operabátur, abjécto milítiæ cíngulo, & diabólicis præstígiis abjurátis, unà cum sócio, quem étiam ad martyrii corónam perdúxit, Hierosólymis sacro Fonte lustrátus, Mónachum índuit: brévique ádeò in religiósæ vitæ stúdio profécit, ut ómnibus esset admiratióni, & exémplo. Ubi incredíbile est, quot dæmonum tentaménta pertúlerit, & constantíssimè superávit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, & custodívit eum ab inimícis, & à seductóribus tutávit illum. * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descenditque cum illo in fóveam: & in vínculis non derelíquit eum. Et dedit illi.

Lectio v.

Divínæ charitátis igne succénsus, nihil áliud habébat in votis, quàm pro Christi Fide ánimam pónere, mórtemque, quam Salvátor noster dignátus est pro nobis pati, réddere Salvatóri. Ardens hoc martyrii desidérium, mirificè accéndit vísio illa, qua nocte quadam áureus gemmisque intertéxtus calix, qui proculdúbio Passiónis cálicem designábat, suavíssimo liquóre plenus offérri sibi visus est: quo prægustáto, mira dulcédine, & fortitúdine se præditum sensit. Id verò Cœnobiárchæ réferens, & Mona-

nachórum précibus se commendans progressúrus in arénam, Cæsaréam Palestinæ conténdit. Ubi nonnúllis è Persárum gente repértis: qui dæmonum præstigiis addícti erant, eos ácriter reprehéndit. Ab his autem tamquam explorátor hábitus, in arctíssimam tráhitur custódiam, omni penè victu per tríduum interdícto.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei Dómine: * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. Et voluntáte.

Lectio vi.

DEinde ad Marzabánam nequíssimum Persárum Ducem addúctus, ab eóque plúries accersitus, & objurgátus, ad saxa ferénda damnátur: quo in labóre incredíbile est, quanta à suis, quanta à Bárbaris, patientíssimè pertúlerit. Revocátus dénuò ad tribúnal, minásque contémnens, diríssimè clavæ ictibus contúnditur. Quo in supplício & tenéri a lictóribus nóluit, & nudári hábitu pétiit, ægriùs ferens hábitus monástici laniatiónem, quàm nudáti córporis discissiónem. Redúctus in cárcerem, Angélicis visiónibus confortátus, virgis àccérrimè cæsus, tibiísque lígneis instruméntis horréndo cruciátu compréssus, iterátis clavæ ictibus appetítus, manu suspénsus, ligatóque ad pedem peringénti saxo: tandem septuaginta sóciis, quos verbo, & exémplo in Fide firmáverat, in propínquo flúmine præfocátis, secúri percússus ad optatíssimam martyrii palmam gloriósè pervénit. Sacrum ejus corpus inhumátum projéctum, nec à cánibus, nec à feris læsum fuit: sed & lucidíssimum sidus super illud effúlsit. Quod Hierosólymam primò, deínde Romam ad Aquas Sálvias; postrémò ad Sancta Sanctórum delátum, ibidem honorificè asservátur.

℟. Stola jucunditátis induit eum Dóminus: * Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitæ, & intelléctus; & aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum. Et corónam. Glória Patri. Et corónam.

In tertio Nocturno, Homilia in Evangelium Si quis venit ad me, &c. *de Communi unius Martyris.*

DIE XV. FEBRUARII.

In Festo Translationis S. Antonii Confess. duplex maius.

Omnia

Omnia de Communi Confessoris non Pontif. præter ea, quæ hic habentur.

Ad Vesperas, Antiphona Sapiéntiam ejus, *cum reliquis de Laudibus, Psalmi de Dominica, sed loco ultimi Psalm.* Laudáte Dóminum omnes gentes.

Capitulum. Eccli. 50.

QUasi stella matutína in médio nébulæ, & quasi Luna plena in diébus suis lucet; & quasi Sol effúlgens: sic ille effúlsit in domo Dei.

Hymnus.

QUid Lusitános déferens
Migras ad Afros? Sánguinis
Ostrum petis; sed cándida
Debéntur innocéntiæ.

Alio ingruéntes déferent
Venti: beabis Italos:
Túmulo fruéntur éxteri,
Noménque non suo dabunt.

Ah ne Beátis ádditus
Pátriæ sepúlchrũ præferas!
Quæ sidus ora prótulit,
Hæc prima vires séntiat.

Quin tu benigno lúmine
Pópulos utrósque sóspitas,
Ex æquo utrósq̃ ampléćteris,
Par es fovéndis ómnibus.

Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar únice,
Cum Spíritu Paráclito,
Regnans per omne sæculum. Amen.

℟. Amávit eum Dominus, & ornávit eum.

℣. Stolam glóriæ induit eum.

Ad Magnificat, Antiphona. O' lingua benedićta, quæ Dóminum semper benedixísti, & álios benedícere docuísti: nunc perspícuè cérnitur, quanti mériti fúeris apud Deum.

Oratio.

ECclésiam tuam, Deus, Beáti Antonii Confessóris tui Translátio votiva lætíficet: ut spirituálibus semper muniátur auxíliis, & gáudis pérfrui mereátur ætérnis. Per Dóminum nostrum, &c.

Ad Matutinum, Invitator. Regem Dóminum in translatióne Beáti Antónii, * Veníte, adorémus.

Psalmus. Venite, exultémus.

Hymnus. Quid Lusitános, *ut suprà.*

In primo Nocturno.

De Libro Sapiéntiæ.

Lectio i. Cap. 6.

MElior est sapiéntia, quàm vires: & vir prudens, quàm fortis. Clara est, & quæ numquàm marcéscit sapiéntia, & fácilè vidétur ab his, qui díligunt eam, & invenítur ab his, qui quærunt illam. Præóccupat, qui se concupíscunt, ut illis se prior osténdat. Qui de luce vigiláverit ad illam, non labo-

borábit: assidéntem enim illam fóribus suis invéniet. Cogitáre ergo de illa, sensus est consummátus: & qui vigiláverit propter illam, citò erit secúrus. Quóniam dignos se ipsa circuit quærens, & in viis suis osténdit se illis hiláriter, & in omni providéntia occúrrit illis.

℟. Euge serve bone & fidelis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constituam: * Intra in gáudium Dómini tui. ℣. Dómine quinque talénta tradidísti mihi, ecce ália quinque superlucrátus sum. Intra in gáudium.

Lectio ii. *Cap.* 7.

OPtávi, & datus est mihi sensus, & invocávi, & venit in me Spíritus sapiéntiæ: & præpósui illam regnis, & sédibus, & divitias nihil esse duxi in comparatióne illíus. Nec comparávi illi lápidem pretiósum, quóniam omne aurum in comparatióne illíus aréna est exigua, & tamquam lutum æstimábitur argéntum in conspéctu illíus. Super salútem, & spéciem diléxi illam, & propósui pro luce habére illam, quóniam inextinguíbile est lumen illíus.

℟. Justus germinábit sicut lilium: * Et florébit in ætérnum ante Dóminum. ℣. Plantátus in domo Dómini, in átriis domus Dei nostri. Et florébit.

Lectio iii.

VEnérunt autem mihi ómnia bona páriter cum illa, & innumerábilis honéstas per manus illíus, & lætátus sum in ómnibus, quóniam antecedébat me ista sapiéntia, & ignorábam quóniam horum ómnium mater est. Quam sine fictióne dídici, & sine invídia commúnico, & honestátem illíus non abscóndo. Infinitus enim thesáurus est homínibus: quo qui usi sunt, partícipes facti sunt amicítiæ Dei, propter disciplínæ dona commendáti. Mihi autem dedit Deus dícere ex senténtia, & præsúmere digna horum, quæ mihi dantur; quóniam ipse sapiéntiæ dux est, & sapiéntium emendátor.

℟. Iste cognóvit justítiam, & vidit mirabília magna, & exorávit Altíssimum: * Et invéntus est in número Sanctórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, & pervénit ad cæléstia Regna Et invéntus est. Glória Patri. Et invéntus.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

POstquàm sacrum Beáti Antónii corpus sepultúræ tráditum est, conféstim in-

incœpit tot, ac tantis clarére miráculis, & populórum non modò vicinórum, sed étiam longè distántium ad illud visitándum tam magni fieri concúrsus, ut Epíscopus Civitátis Paduánæ cum Cléricis, & Potéstas cum cívibus, deliberáto consílio, nec dum post mortem viri Sancti mense compléto, pro ejus canonizatióne ad Sedem Apostólicam solémnes núntios destinárent. Quibus à Dómino Papa Gregório Nono benignè suscéptis, ab eódem de commúni Fratrum suórum consílio, Epíscopo Paduáno, ac Prióribus Sancti Benedícti, & Fratrum Prædicatórum miraculórum examinátio demandátur. Quorú certitúdine infallibiliter compérta, ac Románæ Cúriæ nuntiáta, quidam Cardináles acceleratióni tanti negótii resistébant, pro eo, quòd à tránsitu Viri Sancti necdum annus integer effluxísset. Sed paulò post unus ipsórum visióne quadam ei divínitùs in somnis exhíbita ita mutátus est, ut ex tunc ipsius negótii promótor exísteret.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, & custodívit eum ab inimícis, & à seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, & osténdit illi Regnum Dei. Et dedit.

Lectio v.

Tota dénique Cardinálium, & Prælatórum, qui tunc in Cúria præséntes áderant, univérsitas congregátur, & de Beáti Antónii canonizatióne fit consultátio. Omnes in eam unanímiter consétiunt, & Summus Póntifex diem, quo celebrétur, remóta dilatióne, constítuit. Qui dies cùm advenísset, præsénte sacra Cardinálium societáte, & Episcopórum, Abbátum, & aliórum Ecclésiæ Prælatórum copióso cœtu, & máximo Cleri convéntu, ac populórũ penè innumerábili multitúdine, prædíctus Póntifex cum summa solemnitáte Beátum Patrem Antónium in catálogo Sanctórum conscrípsit, ac festum ejus die óbitus sui celebrári constítuit. Facta sunt autem hæc in Civitáte Spoléti anno Dómini millésimo ducentésimo trigésimo secúndo. Et cùm núntii Civitátis Paduánæ ante complétũ post mortem Beáti Viri annum, domum cum máxima exultatióne revertíssent, die tránsitus illius revolúto anni círculo, pro anniversário defunctórum, festum ejus

ejus cum máxima solemnitáte celebrátum est.

℟. Amávit eum Dóminus, & ornávit eum: stolam glóriæ induit eum, * Et ad portas Paradisi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus loricam fidei, & ornavit eum. Et.

Lectio vi.

POst ejus canonizatiónem crebrescéntibus miráculis, & simul crescénte populórum devotióne, & concúrsu, Civitas Paduána decrévit amplum, & magníficum Templum in ejus honórem constrúere. Quod cùm post multos annos summis súmptibus máxima ex parte perféctum esset, corpus Sancti Viri ad illud translátum est, anno scilicet Dómini millésimo ducentésimo sexagésimo tértio, in Octáva Dominicæ Resurrectiónis, præsénte Sancto Fratre Bonaventúra, tunc Generáli Minístro Ordinis. Cùmque caro Sancti tota esset in púlverem arénæ símilem resolúta, lingua ejus, quæ per triginta duos annos sub terra fúerat, ita integra, recens, ac rubicúnda repérta est, ut vivéntis hóminis esse pótiùs viderétur, quàm mórtui. Quam devótus Generális in mánibus reverénter accípiens, irrigátus proflúviis lacrymárum, coram ómnibus, his verbis affátus est: O' lingua benedicta, quæ Dóminum semper benedixisti, & álios benedicere fecisti, nunc manifésté appáret, quanti mériti extitisti apud Deum. Et infigens ei devotíssima óscula, jussit eam seórsum honorificè collocári.

℟. Iste homo perfécit ómnia, quæ locútus est ei Deus, & dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus Géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, & pervénit ad cœléstia regna. Quia te vidi. Glória Patri. Quia te vidi.

In tertio Nocturno, Homilia in Evang. Vos estis sal terræ, *ut in Communi Doctor.*

℟. *viii.* In médio Ecclésiæ, *ut pro Doctorib.*

Lect. ix. de Ss. Faust. & Jovita, ut in Breviar.

AD LAUDES,

& per Horas, Antiph.

SApiéntiam ejus narrent pópuli, & laudem ejus núntiet Ecclésia.

Psalmus. Dóminus regnávit, *cum reliquis de Dominica.*

Antiphona. Similem illum fecit in glória Sanctórum, & in verbis suis monstra placávit.

Antiph. Dedit illi in præcéptis suis potestátem, & in lege sua lucem dare Israel.

Antiph. Surréxit quasi ignis, & verbum ipsius quasi fácula ardébat.

Antiph. Diréctus est divinitùs in pœniténtiam Gentis, & tulit abominatiónes impietátis.

Capitulum. Eccles. 50.

QUasi stella matutína in médio nébulæ, & quasi Luna plena in diébus suis lucet, & quasi Sol effúlgens: sic ille effúlsit in domo Dei.

Hymnus.

LÆti sodáles pláudite,
Diem refert Antónius,
Cæli decus, flos cælitum,
Et Solis astro púlchrior.
Hic ille, qui facúndia,
Cives, & urbes cómmovet,
Vertit rebélles Númini
In filiórum péctora.
Hic ille, quem natántium,
Cohors theatráles gradus
Formans in undis áudiit
Mortálibus prudéntior.
En jure lingua nóbilis,
Extíncta vivis rórida,
Prisca rubens in púrpura,
Et muta adhuc es éloquens.
Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spiritu Paráclito
Nunc, & per omne sæculum.
Amen.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas.

℟. Et osténdit illi Regnum Dei.

Ad Benedictus, Antiph. Favus distillans lábia ejus, mel, & lac sub lingua ejus.

Oratio. Ecclésiam, *ut suprà.* 30.

Ad Tertiam, Antiphona. Símilem illum fecit.

Capitulum. Quasi stella, *ut suprà.*

℟. *breve.* Amávit eum Dóminus, * Et ornávit eum. Amávit. ℣. Stolam glóriæ induit eum. Et ornávit. Glória Patri. Amávit.

℣. Os justi meditábitur sapiéntiam.

℟. Et lingua ejus loquétur judicium.

Ad Sextam, Antiphona. Dedit illi.

Capitulum. Eccles. 50.

QUasi arcus refúlgens inter nébulas glóriæ, & quasi flos rosárum in diébus vernis, & quasi lília, quæ sunt in tránsitu aquæ, & quasi thus rédolens in diébus æstátis.

℟. *br.* Os justi, * Meditábitur sapiéntiam. Os justi. ℣. Et lingua ejus loquétur judicium. Meditábitur. Glória Patri. Os justi.

℣. Lex Dei ejus in corde ipsius.

℟. Et non supplantabúntur gressus ejus.

Ad Nonam, Antiphona. Diréctus est.

Capitulum. Eccles. 50.

QUasi vas auri sólidum, ornátum ómni lápide pre-

pretióso: quasi oliva púllulans, & cypréssus in altitúdinem se extóllens.

℞. *breve.* Lex Dei ejus, * In corde ipsius. Lex. ℣. Et non supplantabúntur gressus ejus. In corde. Glória Patri. Lex Dei.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas.

℞. Et osténdit illi Regnum Dei.

In secundis Vesperis omnia ut in primis.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas.

℞. Et osténdit illi Regnum Dei.

Et fit commemor. S. Raymundi de Peñafort, ut in Breviario, sub die 23. Januarii.

DIE XVIII. FEBRUARII.

In Festo Sancti Theotonii Confessoris, duplex majus.

Ad Vesperas, Antiphona. Introíbo, *cum reliquis de Laudib. Psalm.* Dixit Dóminus, *cum reliquis de Dominica, & loco ultimi Psal.* Laudáte Dóminum omnes Gentes.

Capitulum.

MAgnificávit eum in timóre inimicórum, & in verbis suis monstra placávit: glorificávit illum in conspéctu Regum, & jussit illi coram pópulo suo, & osténdit illi glóriam suam.

Hymnus.

PAtré canámus inclytú,
Qui dú juvénta flóruit,
Juvit sodáles plúrimos
Sanctis refórmans móribus.

Tum Christi amóre pércitus,
Perréxit illuc plúries,
Ubi nos Redémptor ómniú,
Suo expiávit sánguine.

Præceps furéntis æquoris,
Non ira cursum détinet;
Timére nescit æstuans
In corde puro cháritas.

Mox & procéllis imperat,
Vis fœda cedit túrbinis,
Ipso rogánte cælites,
Ventiq̃, & undæ súbsident.

Centéna glebis óscula
Humi volútus imprimit:
Geritque fixum péctori
Nostræ salútis áuspicem.

Probra hinc, labóres, dédecus
Ardóre raptus æmulo
Præfert opímis insulis,
Terræque honóres déspicit.

Sanctæ Crucis sub stémmate
Sacrum refórmat Ordinem;
Qualem beávit jam suo
Salvátor ipse nómine.

Tuo rogátu supplici
Christi æmulátor impetra,
Ut cogitémus pérpetim,
Dilécta Christi vúlnera.
Amen.

℣. Renovámini spíritu mentis vestræ.

℞. Et indúite novum hóminem.

Ad Magnificat, *Antiphona.* Estóte imitatóres mei sicut filii charíssimi, & ambuláte in dilectióne.

Oratio.

DEus, qui Beáti Theotónii salutáribus mónitis, & exémplis Canónicam Disciplinam reparásti: concéde propitius; ut ejus exémplo, & intercessióne arctiórem Christiánæ perfectiónis viam ingréssi, facíliùs vitam ætérnam consequámur. Per Dóminum nostrum.

Ad Matutinum, *Invitator.*

Venite, adorémus Regem Regum: * Qui nobis ad exémplū propónit Theotónium.

Hymnus.

TU nostri cólumen, tu decus, hórridas
Hinc pestes rémove, diraque prælia,
Inténtus pópulo désuper éxcuba,
Et rem prótege públicam.
Te gens Lusiadum rebus in ásperis
Olim propítium sensit, & ágmina
Maurórum pátriis finibus éxpulit,
Armis, & prece dímicans.
Te jussi tóties cédere dæmones,
Te morbi métuunt sæpè coérciti,
Iram, si júbeas, fúlgura témperant,
Et fluctus mare cómprimit.
Nunc ergo pópuli vócibus ánnue,
Atque illum fóveas præcipuè gregem,
Cui vivens præeras, qui memor óptimum,
Nunc Patrē précibus vocat.
Quicúmque hoc péraget dénique cánticum,
Fac tutas ineat te duce sémitas,
Dum laudes Triadi cóncinat inclytæ
Tecum sæcla per ómnia.
Amen.

In primo Nocturno, Antiph. Introíbimus in tabernáculum ejus, adorábimus in loco, ubi stetérunt pedes ejus.

Psalm. de Communi Confess. non Pontif.

Antiphona. Stantes erant pedes nostri in átriis tuis Jerúsalem.

Antiphon. Sicut audívimus, sic vídimus in civitáte Dómini virtútum, in civitáte Dei nostri.

℣. Benedícam Dóminum in omni témpore.

℟. Semper laus ejus in ore meo.

De Libro Ecclesiástici.

Lectio i. *Cap.* 43.

QUi návigant mare, enárrent perícula ejus, & audiéntes áuribus no-

nostris admirábimur : illic præclára ópera, & mirabília : váriæ bestiárum génera, & ómnium pécorum, & creatúra belluárum. Propter ipsum confirmátus est itíneris finis, & in sermóne ejus compósita sunt ómnia. Multa dicémus, & deficiémus in verbis : consummátio autem sermónum ipse est in ómnibus.

℟. Gustáte, & vidéte, quóniam suávis est Dóminus. * Beátus vir, qui sperat in eo. ℣. Oculi Dómini super justos, & aures ejus in preces eórum. Beátus.

Lectio ii. *Cap.* 44.

LAudémus viros gloriósos, & paréntes nostros in generatióne sua : multam glóriam fecit Dóminus magnificéntia sua à sæculo. Dominántes in potestátibus suis ; hómines magni virtúte, & prudéntia sua præditi, nuntiántes in Prophétis dignitátem Prophetárũ. Et imperántes in præsénti pópulo, & virtúte prudéntiæ pópulis sanctíssima verba : in perítia sua requiréntes modos músicos, & narrántes cármina scripturárũ.

℟. Si custodíerint filii tui testaméntum meum, & testimónia mea hæc, quæ docébo eos, * Sedébunt super sedem tuam. ℣. Sacerdótes tui induántur justítiam, & Sancti tui exúltent. Sedébunt.

Lectio iii. *Cap.* 45.

DIléctus Deo, & homínibus, cujus memória in benedictióne est : símilem illum fecit in glória Sanctórum, & magnificávit eum in timóre inimicórum, & in verbis suis monstra placávit : glorificávit illum in conspéctu Regum, & jussit illi coram pópulo suo, & osténdit illi glóriam suam: in fide & lenitáte ipsius sanctum fecit illum, & elégit eum ex omni carne : audívit enim eum, & vocem ipsius, & indúxit illum in nubem : & dedit illi coram præcépta, & legem vitæ, & disciplínæ.

℟. Cùm séderit Filius hóminis in sede majestátis suæ. * Sedébitis & vos super sedes duódecim. ℣. Ecce nos relíquimus ómnia, & secúti sumus te. Sedébitis. Glória Patri. Sedébitis.

In ii Nocturno, Antiph. Mihi autem absit gloriári, nisi in Cruce Dómini nostri Jesu Christi.

Antiphona. Hæc est réquies mea, hic habitábo, quóniam elégi eam.

Antiphona. Non est hic áliud, nisi domus Dei, & porta cæli.

℣. Custodívit eũ ab inimícis. ℟.

℟. Et à seductóribus tutávit eum.

Lectio iv.

THeotónius Lusitánus Oppidi Gansei (à Civitáte Tudénsi tantùm Minii interfluéntis spátio discréti) paréntum diligéntia pie, religiósèque ab infántia educátus, deinde sub Epíscopo Conimbricénsi ejus Avúnculo à Magistro Tellóne Conimbricæ Archidiácono usum & modum legéndi, ac canéndi Ecclesiásticum óptimè doctus, in Ecclésia Visiénsi Beátæ Maríæ primùm Cléricus, deinde Présbyter ordinátus, nec multò post ejúsdem Ecclésiæ Prior invitus constitútus, cùm illam Ecclésiam áliquot annis sanctíssime rexisset, accénsus desidério vidéndi sacra loca, in quibus mundi Salvátor pro nostra salúte carnem súmere, & mortem pati dignátus est, cedens Priorátui, peregrinatiónem Hierosolymitánam semel, & secúndò non sine máximis labóribus, vitæque periculis absólvit, quam Deus sibi gratam fuísse multis miráculis declarávit. Post secúndam verò peregrinatiónem Priorátū Visiénsem dénuò sibi oblátum, ac étiam Episcopálem dignitátem réspuens, tértiò eámdem peregrinatióne meditabátur, ut Sepúlchri Domínici custódiam, & commúnis vitæ societátem à Canónicis Reguláribus tunc apud ipsum Domínicum Sepúlchrum degéntibus sibi pollícitam suscíperet.

℟. In fraude circumveniéntium illum ádfuit illi, * Et honéstum fecit illum. ℣. Certámen forte dedit illi, ut vinceret. Et honéstum fecit illum.

Benedictio. Christus perpétuæ.

Lectio v.

TUnc verò úndecim Clérici Conimbricénses cùm primis nóbiles, qui Deo inspiránte inter se condíxerant, se ipsos divinis obséquis sub arctióri custódia Sanctæ Religiónis mancipáre, & labéntem in illis regiónibus Canónicum Ordinum reparáre, Theotónium impénsè rogant, ut sancti illius propósiti sóciū se velit adjúngere. Quamóbrem eórum consilio post matúram consideratiónem probáto, libénter ánnuit, se cum illis duodécimum connumerári. Et ita duódecim ii viri spiritu Apostólico fervéntes Monastérium in honórem Sanctæ Crucis, & Beatíssimæ Virginis Maríæ construxérunt in subúrbio Civitátis Conimbriæ sub régula, & hábitu Beatíssimi

mi Patris Augustini; & ipsum Theotónium in Priórem, cui seipsos reguláriter instituéndos committerent, etsi modis ómnibus repugnántem, elegérunt. Quos verò proféctus, quæ virtútum increménta sub regímine tam sancti Viri nova illa plantátio accéperit, non est opus narráre. Siquidem brevíssimo témpore Monastérium bonis temporálibus copiosíssimè auctum, virtútibus ornátum, & óptimis viris religiósis fuit illustrátũ, inter quos ipse Theotónius magnis vitæ méritis antecibat.

℟. Oculis, ac manibus in cælum semper intentus. * Invíctum ab oratióne spíritum non relaxábat. ℣. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est. Invíctum.

Benedictio. Ignĕ sui amóris.

Lectio vi.

MUltas étiam virtútes Deus per Theotóniũ operári dignabátur; sæpíssimè enim dæmones fugábat ab obséssis corpóribus, & ægrótos suis précibus sanábat, inter quos fuérunt Venerábilis Rex Alphonsus Henricus, & ipsius Conjux Mafálda. Nec tantùm Régibus, cæterisque Lusitáni, à quibus ut commúnis pater habebátur, sed ab extérnis étiam, & præcípuè à Sancto Bernárdo Abbáte Claravalénsi in magna veneratióne fuit: ejus oratiónes vim sæpè Christiánæ fidei hostes debelláti sensérunt. Demùm ætáte ingravescénte cùm Priorátui cessísset, se totum compunctióni, & divinárum rerum contemplatióni tradens, appropinquánte die migratiónis ex hac vita, Príncipem Apostolórum de futúra beatitúdine secúrum illum reddéntem, necnon & cæléstis pátriæ íncolas, scalámque in cælum proténsam videt. Prídie étiam quàm migráret, stellárum globus è cælo in médium claustri Monastérii visus est descéndere. Quare sanctíssimo Domínici Córporis viático munitus, cùm suos alúmnos ad perfectiónem esset cohortátus, ánimam Deo réddidit octogenárius die décima octáva Februarii. Ejus corpus ab Epíscopo Conimbricénsi sepultúræ tráditum, multis miráculis coruscávit.

℟. Pópulum justum liberávit à natiónibus, quæ illum deprimébant: * Et stetit contra Reges horréndos in porténtis, & signis. ℣. Hi in cúrribus, & hi in equis, nos autem in nómine Dómini. Et stetit. Glória Patri. Et stetit.

In tertio Nocturno.

Antiphona. Lætátus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in domum Dómini íbimus.

Antiphona. Quóniam vidébo cælos tuos, ópera digitórum tuórum: Lunam, & stellas, quæ tu fundásti.

Antiphona. Gloriósa dicta sunt de te, Cívitas Dei.

℣. Quam dilecta tabernácula tua, Dómine virtútum: ℞. Concupíscit, & déficit ánima mea in átria Dómini.

Pater noster.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vii. *Cap.* 19.

IN illo témpore: Dixit Petrus ad Jesum: Ecce nos relíquimus ómnia, & secúti sumus te, quid ergo erit nobis? Et réliqua.

Homilia Sancti Bernárdi Abbátis.

Declam. de Evangel. hujus verb.

ARbitror verba lectiónis hujus ea esse, de quibus ad immortálem Sponsum á fínibus terræ clamat Ecclésia: Propter verba labiórum tuórum ego custodívi vias duras. Hæc nempè sunt verba, quæ contémptum mundi in univérso mundo, & voluntáriam persuasére homínibus paupertátem; hæc sunt quæ Mónachis claustra replent, desérta Anachorétis. Hæc, inquam, sunt verba, quæ Ægyptú spóliant, & óptima quæque ejus vasa diripiunt; hic sermo vivus, & éfficax, convértens ánimas felici æmulatióne sanctitátis, & veritátis promissióne fidéli.

℞. Obitum suum longè antè præscivit, dixitque frátribus: * Cúpio dissólvi, & esse cum Christo. ℣. Hei mihi, quia incolátus meus prolongátus est. Cúpio dissólvi.

Bened. Cujus festum cólimus.

Lectio viii.

NAm & mundus transit, & concupiscéntia ejus, & relínquere hæc magis éxpedit, quam relinqui. Ecce, inquit, relíquimus ómnia, & secúti sumus te: nimirùm quia exultávit ut gigas ad curréndam viam, nec curréntem sequi póterat onerátus. Sed nec inútilis commutátio pro eo, qui super ómnia est, ómnia reliquisse: nam & simul cum eo donántur ómnia, & ubi apprehénderis eum, erit unus ipse ómnia in ómnibus, qui pro ipso ómnia reliquérunt. Omnia sanè díxerim, non tantùm possessiónes, sed étiam cupiditátes, & eas máximè

℣. Iste homo perfécit ómnia, quæ locútus est ei Deus; * Et dixit ad eum:

In

Ingrédere in réquiem meam. ℣. Osténdit illi glóriam suam. Et dixit. Glória Patri. Et dixit.

Lectio ix.

Petrus cogitátum suum jactans in Dómino, & omnem sollicitúdinem suam in eum projíciens, certus quòd illi foret cura de eo, reliquit ómnia, secútus est Dóminum, ne intérrogans quidem de præmio, donec ex periculo dívitum, quod Salvátor prosequebátur, súmeret occasiónem percontándi: Quid ergo erit nobis? Ait illis Jesus: Amen dico vobis. Verbum confirmatiónis præmittitur: magnum nóveris esse quod séquitur: In regeneratióne sedébitis & vos. Consequímini, ait, quem sequímini, ut, cùm ipse séderit, & vos páriter sedeátis. O séssio! Quis mihi tribuat; ut dignis éxprimã verbis, quod de sessióne hac cordis affectióne concipio? Imò quis tríbuat mihi sessiónis hujus imperturbáta frui réquie, quam desídero, quam cúpio, quam requiro?

AD LAUDES,

& per Horas. Antiph.

Introíbo in domum tuam, adorábo ad templum sanctum tuum.

Psalmi de Dominica.

Antiphona. Deus docuísti me à juventúte mea, & usque nunc pronuntiábo mirabília tua.

Antiphona. Loquébar de testimóniis tuis in conspéctu Regum, & non confundébar.

Antiphona. Veníte filii, audíte me, timórem Dómini docébo vos.

Antiph. Humiliámini sub poténti manu Dei, ut vos exáltet in die visitatiónis.

Capitulum.

Magnificávit eum in timóre inimicórum, & in verbis suis monstra placávit: glorificávit illum in conspéctu Regum, & jussit illi coram pópulo suo, & osténdit illi glóriam suam.

Hymnus.

Mortis extrémas properántem ad horas
Densa te cingit Súperum coróna,
Ut, licèt vivens, cáperes Beátæ
Gáudia vitæ.

Dæmonis sæpè insídias parántis,
Frangis invíctus láqueos, & arma:
Undique oppúgnans sólitus rebélle
Spérnere monstrum.

Qua tui quondam vénient alúmni,
Te polo invítat scala; te quem amánter
Cláviger cæli sóciũ vocárat
Lætus ad astra.

Tu

Tu tamen pulchros réferens triúmphos
Scandis hanc primus, rutilúmque callem
Cæteris monstrans, trahis ad suprémum
Te duce culmen.

Quantus excélso níteas Olympo,
Te novum nasci quasi dicat astrum,
Lapsus astrórum globus obviánti
Lúmine prodit.

Aspice oh nos è Pátria beáta,
Atque Regínæ Súperum in cliéntes
Trade, quam vivens ténero colébas
Ductus amóre.

Laus sit augústæ Tríadi perénnis,
Quæ tibi tantos tríbuens honóres
Det tuis nobis grádibus serénum
Scándere cælum.
Amen.

℣. Repósita est mihi coróna justitiæ.
℟. Quam reddet mihi Dóminus.

Ad Benedictus, Antiphona. Ego enim jam delibor, & tempus resolutiónis meæ instat.

Oratio.

DEus, qui Beáti Theotónii salutáribus mónitis, & exémplis Canónicam disciplínam reparásti: concéde propítius; ut ejus exémplo, & intercessióne arctiórem Christiánæ perfectiónis viam ingréssi, facilìus vitam ætérnam consequámur. Per Dóminum nostrum.

Ad Tertiam, Antiphona. Deus docuísti.

Capitul. Magnificávit eum, *ut suprà.* 35.

℟. *breve.* Vota mea, * Dómino reddam. Vota mea. ℣. In conspéctu omnis pópuli ejus. Dómino. Glória Patri. Vota mea.

℣. In átriis domus Dómini.
℟. In médio tui Jerúsalem.

Ad Sextam, Antiphona. Loquébar.

Capitulum.

IN hoc enim vocáti estis, quia & Christus passus est pro nobis, vobis relínquens exémplum, ut sequámini vestigia ejus.

℟. *br.* Ubi sunt, * Congregáti in nómine meo. Ubi sunt. ℣. Ibi sum in médio eórum. Congregáti. Glória Patri. Ubi sunt.

℣. O quàm bonum, & quàm jucúndum.
℟. Habitáre fratres in unú.

Ad Nonam, Antiphona. Humiliámini.

Capitulum.

OBsecro itaque vos, fratres, per misericórdiam Dei, ut exhibeátis córpora ve-

vestra hóstiam viventem, sanctam, Deo placéntem, rationábile obséquium vestrú, & nolite conformári huic sæculo, sed reformámini.

℟. *breve.* Laudáte Dóminum, * In tympano, & choro. Laudáte Dóminum. ℣. Laudáte eum in chordis, & órgano. In tympano. Glória Patri. Laudate.

℣. Bonum est confitéri Dómino.

℟. Et psállere nómini tuo Altíssime.

In ii. Vesperis omnia ut in primis, præter seq.

℣. Vidit scalam stantem super terram.

℟. Et cacúmen illíus tangens cælum.

Ad Magnificat, Antiphona. Vidit, & introívit: Beátus homo, cui cæli patébant.

DIE XXIII. FEBRUARII.

In Festo S. Margaritæ de Cortona, duplex.

Omnia de Communi nec Virgin. nec Mart. præter ea, quæ hic habentur propria.

Oratio.

DEus, qui fámulam tuam Margarítam de perditiónis via ad salútis trámitem misericórditer deduxísti: eádem nobis miseratióne concéde: ut quam priùs errántem sectári non erubúimus, mox pœniténtem impigre sequi gloriémur. Per Dóminum.

In 1. Noct. ante Quadrag. leguntur Lect. de Script. occ. In Quadrag. verò, Lectiones Mulierem fortem, *de Communi non Virg.*

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

MArgaríta, a loco dormitiónis Cortonénsis appelláta, Laviáni in Túscia ortum hábuit. Primis adolescéntiæ suæ annis mundi voluptátibus capta, in Montis Politiáni Civitáte vanam & lúbricam vitam duxit; sed cùm amásium ab hóstibus fœde transfóssum indício canis in fóvea sub strue lignórum tumulátum fortúito reperísset; illico facta est manus Dómini super eam, quæ magno culpárum suárum mœróre tacta, éxiit foras, & flevit amáre. Itaque Laviánum revérsa, crine detónso, neglécto cápite, nulláque veste contécta, erróribus suis mundíque illécebris núntium misit; inque ædibus Deo sacris fune ad collum alligáto, humi procúmbens, ab ómnibus, quos ántea móribus suis palam offénderat, véniam exorávit. Mox Cortónam proqfécta in cínere, & cilício a se læsam Dei Majestátem placáre stúduit, donec post triennále virtútum experimén-

méntum a Frátribus Minóribus spirituális vitæ dúcibus Tértii Ordinis hábitum impetrávit. Uberes exinde lácrymæ ei familiáres fuérunt, atque ima suspíria tanta ánimi contritióne ducta, ut diu elinguis consísteret. Léctulus nuda humus: cervícal lapis, aut lignum porréxit: atque ita noctes insómnes in cæléstium meditatióne tráhere consuévit: nullum ámplius pravum desidérium perpéssa, dum bonus spíritus prómptior infírmam carnem ad subeúndos labóres erigébat.

℟. Propter veritátem, & mansuetúdinem, & justítiam: * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua, inténde, próspere procéde, & regna. Et dedúcet.

Lectio v.

A Dæmone insídiis funestísque conátibus lacessíta, Múlier fortis hostem ex verbis detéctum semel, atque íterum invícta répulit. Ad eludéndum vanæ glóriæ lenocínium, quo a malo spíritu petebátur, prætéritos mores suos per vicos & platéas alta voce accusáre non déstitit, omni supplício se ream inclámans: nec, nisi a confessário detérrita, in speciósam fáciem, olim impúri amóris causam, sævíre abstínuit, ægre ferens suam formam longa carnis maceratióne non aboléri. Quibus, aliísque magnæ pœniténtiæ arguméntis suórum críminum labe expiáta, atque ita de se triumphátrix, ut sensus plane omnes á mundi illécebris custodíret, digna facta est, quæ sæpe Dómini consuetúdine fruerétur. Ejúsdem quoque Christi, & Vírginis Matris dolórum, quod ipsa ardénter expetíerat, párticeps facta, cunctis sénsibus destitúta, & verè mórtua intérdum visa est. Ad eam proínde, véluti ad perfectiónis magistram, ex dissitis étiam regiónibus plúrimi conveniébant: ipsa vero cælésti, quo erat perfúsa, lúmine, córdium secréta, consciéntias hóminum, imo & peccáta, in remótis licet pártibus Deum offendéntiũ cum dolóre, & lácrymis detegens, summáque in Deum, & próximum charitáte fervens, ingéntem animárum fructum operáta est. Ægris ad se veniéntibus salútem, obséssis a dæmone liberatiónem impetrávit. Púerum defúnctum, lugénte matre, ad vitam redúxit. Imminéntes bellórum tumúltus assíduis oratiónibus sedávit. Dénique summæ pietátis opéribus vivos & mórtuos sibi demétuit.

℟.

℟. Dilexísti justítiam, & odísti iniquitátem: * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, & mansuetúdinem, & justítiam. Proptérea.

Lectio vi.

Tot sanctis opéribus occupáta, de rigóre, quo assídue corpus suum exercébat, nihil remísit; neque a stúdio cæléstia meditándi se avélli passa est: in utróque vitæ génere plane admiránda, utrámque sorórem Magdalénam, & Martham réferens. Tandem pro se Dóminum orans, ut ex hac valle lacrymárum sursùm in cæléstem pátriam revocarétur, exaudita est orátio ejus, die atque hora dormitiónis ei patefáctis. Méritis itaque, & labóribus plena, ac cæléstibus donis cumuláta cœpit córporis viribus destitui, perque dies decem, & septem nullo cibo, sed divínis tantum collóquiis reféćta est: tum, sanctíssimis Ecclésiæ Sacraméntis rite suscéptis, vultu hilari, atque óculis in cælum convérsis, octávo Kaléndas Mártias anno ætátis quinquagésimo, suæ conversiónis vigésimo tértio, humánæ vero salútis millésimo ducentésimo nonagésimo séptimo, felix migrávit ad Sponsum. Corpus in hanc usque diem végetum, incorrúptum, illæsum, & suáviter olens, summa religióne cólitur in Ecclésia Fratrum Minórum, quæ jam ab eádem Margaríta appellátur. Miráculis contínuo flóruit, quibus permóti Románi Pontífices ad augéndum ejus cultum plúrima liberáliter indulsérunt: Benedíctus verò décimus tértius in festo Pentecóstes die sextadécima Maii anni millésimi septingentésimi vigésimi octávi solémnem ejus Canonizatiónem religiosíssime celebrávit.

℟. Fallax grátia, & vana est pulchritúdo: * Múlier timens Deum, ipsa laudábitur. ℣. Date ei de fructu mánuum suárum, & laudent eam in portis ópera ejus. Múlier. Glória Patri. Múlier.

In iii. Nocturno Homil. in Evang. Símile est Regnum cælórum thesáuro, *de Communi non Virg.*

In Laud. ad Benedictus Antiphona. Ut cognóvit, respuit Seráphici Ordinis Magdaléna: dimíssa sunt ei peccáta multa, quia diléxit multum.

Ad Magnificat Antiphona. Ego dilécto meo, & ad me convérsio ejus: invéni quem díligit ánima mea, ténui eú, nec dimíttam.

Pri-

Prima Feria sexta post Cineres.

OFFICIUM

Sacrorum Quinque Vulnerum D. N. Jesu Christi, duplex maius.

AD VESPERAS,

Antiphona. Vere languóres nostros ipse tulit, & dolóres nostros ipse portávit.

Psalmus 115.

CRédidi, propter quod locútus sum: * ego autem humiliátus sum nimis.

Ego dixi in excéssu meo: * Omnis homo mendax.

Quid retribuam Dómino, * pro ómnibus, quæ retribuit mihi?

Cálicem salutáris accípiam: * & nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam coram omni pópulo ejus: * pretiósa in conspéctu Dómini mors Sanctórũ ejus.

O' Dómine, quia ego servus tuus: * ego servus tuus, & filius ancillæ tuæ.

Dirupisti víncula mea: * tibi sacrificábo hóstiam laudis, & nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam in conspéctu omnis pópuli ejus: * in átriis domus Dómini, in médio tui Jerúsalem.

Glória Patri.

Antiphona. Verè languóres nostros ipse tulit, & dolóres nostros ipse portávit.

Antiphona. Ipse autem vulnerátus est propter iniquitátes nostras, attritus est propter scélera nostra.

Psalmus 119.

AD Dóminum cùm tribulárer clamávi: * & exaudívit me.

Dómine, libera ánimam meam à lábiis iniquis, * & à lingua dolósa.

Quid detur tibi, aut quid apponátur tibi * ad linguam dolósam?

Sagittæ poténtis acútæ, * cũ carbónibus desolatóriis.

Heu mihi, quia incolátus meus prolongátus est: habitávi cum habitántibus Cedar: * multùm íncola fuit ánima mea.

Cum his, qui odérunt pacem, eram pacíficus: * cùm loquébar illis, impugnábant me gratis.

Glória Patri, &c.

Antiph. Ipse autem vulnerátus est propter iniquitátes nostras, attritus est propter scélera nostra.

Antiphona. Alligávit Dóminus plagam pópuli sui, & percussúram ejus sanávit.

Psalmus 139.

ERipe me, Dómine, ab hómine malo: * à viro iniquo éripe me.

Qui cogitavérunt iniquitátes in corde: * tota die con-

constituébant prælia.

Acuérunt linguas suas sicut serpéntis : * venénum áspidum sub lábiis eórum.

Custódi me, Dómine, de manu peccatóris : * & ab homínibus iníquis éripe me.

Qui cogitavérūt supplantáre gressus meos : * abscondérunt supérbi láqueum mihi.

Et funes extendérunt in láqueum : * juxta iter scándalum posuérunt mihi.

Dixi Dómino : Deus meus es tu : * exáudi Dómine vocem deprecatiónis meæ.

Dómine, Dómine virtus salútis meæ : * obumbrásti super caput meum in die belli.

Ne tradas me, Dómine, à desidério meo peccatóri : * cogitavérunt contra me, ne derelínquas me, ne fortè exalténtur.

Caput circúitus eórum : * labor labiórum ipsórum opériet eos.

Cadent super eos carbónes, in ignem dejícies eos : * in misériis non subsistent.

Vir linguósus non dirigétur in terra : * virum injústum mala cápient in intéritu.

Cognóvi quia fáciet Dóminus judícium inopis, * & vindíctam páuperum.

Verúmtamen justi confitebúntur nómini tuo : * & habitábunt recti cū vultu tuo.

Glória Patri, &c.

Antiphona. Alligávit Dóminus plagam pópuli sui, & percussúram ejus sanávit.

Antiph. Omnis, qui transíbit, stupébit super omnes plagas ejus.

Psalmus 140.

DOmine, clamávi ad te, exáudi me : * inténde voci meæ, cùm clamávero ad te.

Dirigátur orátio mea sicut incénsum in conspéctu tuo : * elevátio mánuū meárum sacrificiū vespertínum.

Pone, Dómine, custódiam ori meo : * & óstium circumstántiæ lábiis meis.

Non declínes cor meū in verba malítiæ, * ad excusándas excusatiónes in peccátis.

Cum homínibus operántibus iniquitátem, * & non communicabo cum eléctis eórum.

Corrípiet me justus in misericórdia, & increpábit me : * óleum autem peccatóris non impínguet caput meū.

Quóniam adhuc, & orátio mea in beneplácitis eórum : * absórpti sunt juncti petræ júdices eórum.

Audient verba mea, quóniam potuérunt : * sicut crassitúdo terræ erúpta est super terram.

Dissipáta sunt ossa nostra secùs inférnum : * quia ad te

te Dómine, Dómine óculi mei: in te ſperavi, non áuferas ánimam meam.

Cuſtódi me à láqueo, quem ſtatuérunt mihi: * & à ſcándalis operántium iniquitátem.

Cadent in retiáculo ejus peccatóres: * ſinguláriter ſum ego, donec tránſeam.

Glória Patri, &c.

Antiphona. Omnis, qui tranſíbit, ſtupébit ſuper omnes plagas ejus.

Antiphona. O' vos omnes, qui transítis per viam, atténdite, & vidéte, ſi eſt dolor, ſicut dolor meus.

Pſalmus 141.

VOce mea ad Dóminum clamávi: * voce mea ad Dóminum deprecátus ſum:

Effúndo in conſpéctu ejus oratiónem meam, * & tribulatiónem meam ante ipſum pronúntio.

In deficiéndo ex me ſpíritum meum: * & tu cognovíſti ſémitas meas.

In via hac, qua ambulábam, * abſcondérunt láqueum mihi.

Conſiderábam ad déxteram, & vidébam: * & non erat, qui cognóſceret me.

Périit fuga à me: * & non eſt, qui requírat ánimam meam.

Clamávi ad te Dómine: * dixi: Tu es ſpes mea, pórtio mea in terra vivéntium.

Inténde ad deprecatiónem meam: * quia humiliátus ſum nimis.

Líbera me à perſequéntibus me: * quia confortáti ſunt ſuper me.

Educ de cuſtódia ánimam meam ad confiténdum nómini tuo: * me expéctant juſti, donec retríbuas mihi.

Glória Patri, &c.

Antiphona. O' vos omnes, qui transítis per viam, atténdite, & vidéte, ſi eſt dolor, ſicut dolor meus.

Capitulum. *Iſaiæ* 53.

CHriſtus vulnerátus eſt propter iniquitátes noſtras, attrítus eſt propter ſcélera noſtra, cujus livóre ſanáti ſumus.

Hymnus.

PAnge lingua glorióſi
Láuream certáminis,
Et ſuper Crucis trophæo
Dic triúmphum nóbilem:
Quáliter Redémptor orbis
Immolátus vícerit.

De Paréntis protopláſti
Fraude Factor cóndolens,
Quando pomi noxiális
In necem morſu ruit:
Ipſe lignum tunc notávit,
Damna ligni ut ſólveret.

Hoc opus noſtræ ſalútis
Ordo depopóſcerat,
Multifórmis proditóris
Ars ut artem fálleret,
Et medélam ferret inde,
Hoſtis unde læſerat.

Quando venit ergo ſacri,
Ple-

Plenitúdo témporis,
Missus est ab arce Patris
Natus, orbis Cónditor,
Atque ventre Virgináli
Carne amíctus pródiit.

Vagit infans inter arcta
Cónditus præsépia:
Membra pannis involúta
Virgo Mater álligat:
Et Dei manus, pedésque
Stricta cingit fáscia.

Sempitérna sit Beátæ
Trinitáti glória,
Æqua Patri, Filióque,
Par decus Paráclito:
Unius Trinique nomen
Laudet univérsitas.

Amen.

℣. Vidébunt in quem transfixérunt.

℟. Et dolébunt super eũ, ut in morte primogéniti.

Ad Magnificat, Antiph. Dũ in Cruce penderet Unigénitus Dei Filius, & ab ómnibus subsannarétur, Mater ejus Virgo María ipsum verum Deum, & hóminem cóndolens venerabátur.

Oratio.

DEus, qui Unigéniti Fílii tui passióne, & per quinque Vúlnera ejus sánguinis effusióne, humánam natúram peccáto pérditam reparásti; tríbue nobis, quæsumus, ut qui ab eo suscépta Vúlnera venerámur in terris, ejúsdem pretiosíssimi Sánguinis fructum cónsequi mereámur in cælis. Per eúmdem Dóminum nostrum.

Et fit commem. Feriæ.

Ad Matutinum, Invitator. Christum in Cruce confixum, quinque plagis vulnerátum, * Venite, adorémus.

Psalm. Venite, exultémus.

Hymnus. Pange lingua, *ut suprà.*

In primo Nocturno, Antiph. Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis véstibus de Bosra?

Psalmus 10.

IN Dómino confido: quómodo dícitis ánimæ meæ: * Tránsmigra in montem sicut passer?

Quóniam ecce peccatóres intendérunt arcum, paravérunt sagíttas suas in pháretra, * ut sagittent in obscúro rectos corde.

Quóniam quæ perfecísti, destruxérunt: * justus autem quid fecit?

Dóminus in templo sancto suo: * Dóminus in cælo sedes ejus.

Oculi ejus in páuperem respíciunt: * pálpebræ ejus intérrogant filios hóminum.

Dóminus intérrogat justum, & ímpium: * qui autem díligit iniquitátem, ódit ánimam suam.

Pluet super peccatóres láqueos: * ignis, & sulphur, & spíritus procellárum, pars cálicis eórum.

Quóniam justus Dóminus, & justítias diléxit: * æquitátem vidit vultus ejus.

Glória Patri, &c.

Antiph. Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis véstibus de Bosra?

Antiph Quare rubrum est induméntum tuum, & vestiménta tua sicut calcántium in torculári?

Psalmus 14.

DOmine, quis habitábit in tabernáculo tuo? * aut quis requiéscet in monte sancto tuo?

Qui ingréditur sine mácula, * & operátur justítiam.

Qui lóquitur veritátem in corde suo, * qui non egit dolum in lingua sua:

Neç fecit próximo suo malum, * & oppróbrium non accépit advérsus próximos suos.

Ad nihilum dedúctus est in conspéctu ejus malignus: * timéntes autem Dóminum gloríficat:

Qui jurat próximo suo, & non décipit, * qui pecúniam suam non dedit ad usúram, & múnera super innocéntem non accépit:

Qui facit hæc; * non movébitur in ætérnum.

Glória Patri, &c.

Antiphona. Quare rubrum est induméntum tuum, & vestiménta tua sicut calcántium in torculári.

Antiphona. Tórcular calcávi solus, & de Géntibus non fuit vir mecum.

Psalmus 23.

DOmini est terra, & plenitúdo ejus; * orbis terrárum, & univérsi, qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum: * & super flúmina præparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens mánibus, & mundo corde: * qui non accépit in vano ánimam suam, nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem à Dómino, * & misericórdiam à Deo salutári suo.

Hæc est generátio quæréntium eum, * quæréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite, portas, Príncipes, vestras, & elevámini portæ æternáles: * & introíbit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ? * Dóminus fortis & potens, Dóminus potens in prælio.

Attóllite, portas, Príncipes, vestras, & elevámini portæ æternáles: * & introíbit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ? * Dóminus virtútum ipse est Rex glóriæ.

Glória Patri, &c.

Ant

Antiphona. Tórcular calcávi solus, & de Géntibus non fuit vir mecum.

℣. Fodérunt manus meas, & pedes meos.

℟. Dinumeravérunt ómnia ossa mea.

De Isaía Prophéta.

Lectio i. *Cap.* 53.

QUis crédidit audítui nostro? & bráchium Dómini cui revelátũ est? & ascéndet sicut virgúltum coram eo, & sicut radix de terra sitiénti. Non est spécies ei, neque decor; & vídimus eum, & non erat aspéctus, & desiderávimus eum: Despéctum, & novíssimum Virórum, Virum dolórum, & sciéntem infirmitátem, & quasi abscónditus vultus ejus, & despéctus: unde nec reputávimus eum. Verè languóres nostros ipse tulit, & dolóres nostros ipse portávit: Et nos putávimus eum quasi leprósum, & percússum à Deo, & humiliátum. Ipse autem vulnerátus est propter iniquitátes nostras, attrítus est propter scélera nostra: disciplína pacis nostræ super eum, & livóre ejus sanáti sumus.

℟. Gratificávit nos Deus in dilécto Fílio suo: * In quo habémus redemptiónem per sánguinem ejus in remissiónem peccatórum. ℣. Ecce venit plenitúdo témporis, in quo misit Deus Fílium suum in terras. In quo habemus.

Lectio ii.

OMnes nos quasi oves errávimus, unusquísque in viam suam declinávit; & pósuit Dóminus in eo iniquitátem ómnium nostrum. Oblátus est, quia ipse vóluit, & non apéruit os suũ: sicut ovis ad occisiónem ducétur, & quasi agnus coram tondénte se obmutéscet, & non apériet os suum. De angústia, & de judício sublátus est: generatiónem ejus quis enarrábit? Quia abscíssus est de terra vivéntium, propter scelus pópuli mei percússi eum. Et dabit ímpios pro sepultúra, & dívites pro morte sua: eò quòd iniquitátem non fécerit, neque dolus fúerit in ore ejus: Et Dóminus vóluit contérere eum in infirmitáte.

℟. Nos qui aliquándo erámus longè, facti sumus propè per sánguinem Jesu Christi. * Ipse est pax nostra, qui fecit útraque unum. ℣. A' Dómino factum est istud, & est mirábile in óculis nostris. Ipse est.

Lectio iii. *Cap.* 63.

QUis est iste, qui venit de Edom, tinctis véstibus de Bosra? Iste formósus in stola sua, grádiens in multitúdine fortitúdinis

suæ. Ego qui loquor justítiam, & propugnátor sum ad salvándum. Quare ergo rubrum est induméntum tuum, & vestiménta tua sicut calcántium in torculári? Tórcular calcávi solus, & de Géntibus non est vir mecum: calcávi eos in furóre meo, & conculcávi eos in ira mea, & aspérsus est sanguis eórum super vestiménta mea, & omnia induménta mea inquinávi: dies enim ultiónis in corde meo, annus Redemptiónis meæ venit. Circumspéxi, & non erat auxiliátor: quæsívi, & non fuit qui adjuváret.

℟. In primogénito ex mórtuis complácuit ómnem plenitúdinem divinitátis inhabitáre, & per eum reconciliári ómnia in ipsum. * Pacíficans per sánguinem Crucis ejus, sive quæ in cælis, sive quæ in terris sunt. ℣. Ipse est córporis Ecclésiæ, in ómnibus primátum tenens. Pacíficans. Glória Patri. Pacíficans.

In secundo Nocturno, Antiph. Fodérunt manus meas, & pedes meos: dinumeravérunt ómnia ossa mea.

Psalmus 21.

DEus, Deus meus, réspice in me: quare me dereliquísti? * Longè à salúte mea verba delictórum meórum.

Deus meus clamábo per diem, & non exáudies: * & nocte, & non ad insipiéntiam mihi.

Tu autem in sancto hábitas, * Laus Israel.

In te speravérunt patres nostri: * speravérunt, & liberásti eos.

Ad te clamavérunt, & salvi facti sunt: in te speravérunt, & non sunt confúsi.

Ego autem sum vermis, & non homo: * oppróbrium hóminum, & abjéctio plebis.

Omnes vidéntes me, derisérunt me: * locúti sunt lábiis, & movérunt caput.

Sperávit in Dómino, erípiat eum: * salvum faciat eum, quóniam vult eum.

Quóniam tu es, qui extraxísti me de ventre: * spes mea ab ubéribus matris meæ. In te projéctus sum ex útero:

De ventre matris meæ Deus meus es tu: * ne discésseris à me.

Quóniam tribulátio próxima est: * quóniam non est qui ádjuvet.

Circumdedérunt me vituli multi: * tauri pingues obsedérunt me.

Aperuérunt super me os suum, * sicut leo rápiens & rúgiens.

Sicut aqua effúsus sum: * & dispérsa sunt ómnia ossa mea.

Factum est cor meum tam-

tamquam cera liquéſcens * in médio ventris mei.

Aruit tamquam teſta virtus mea, & lingua mea adhæſit fáucibus meis : * & in púlverem mortis deduxiſti me.

Quóniam circumdedérūt me canes multi: * concílium malignántium obſédit me.

Fodérunt manus meas, & pedes meos : * dinumeravérunt omnia oſſa mea.

Ipſi veró conſideravérunt, & inſpexérunt me : * diviſérunt ſibi veſtiménta mea, & ſuper veſtem meam miſérunt ſortem.

Tu autem, Dómine, ne elongáveris auxílium tuum à me : * ad defenſiónem meam cónſpice.

Erue à frámea Deus ánimam meam : * & de manu canis únicam meam.

Salva me ex ore leónis : * & à córnibus unicórnium humilitátem meam.

Narrábo nomen tuum frátribus meis : * in médio Eccléſiæ laudábo te.

Qui timétis Dóminum, laudáte eum:* univérſum ſemen Jacob glorificáte eum.

Timeat eum omne ſemen Iſrael : * quóniam non ſprevit, neque deſpéxit deprecatiónem páuperis.

Nec avértit fáciem ſuam à me : * & cum clamárem ad eum, exaudívit me.

Apud te laus mea in Eccléſia magna : * vota mea reddam in conſpéctu timéntium eum.

Edent páuperes, & ſaturabúntur : & laudábunt Dóminum, qui requírunt eum : * vivent corda eórum in ſæculum ſæculi.

Reminiſcéntur, & converténtur ad Dóminum * univérſi fines terræ.

Et adorábunt in conſpéctu ejus * univérſæ famíliæ Géntium.

Quóniam Dómini eſt Regnum : * & ipſe dominábitur Géntium.

Manducavérunt, & adoravérunt omnes pingues terræ : * in conſpéctu ejus cadent omnes, qui deſcéndunt in terram.

Et ánima mea illi vivet: * & ſemen meum ſérviet ipſi.

Annuntiábitur Dómino generátio ventúra : & annuntiábunt cæli juſtítiam ejus pópulo, qui naſcétur, quem fecit Dóminus.

Glória Patri, &c.

Antiphona. Fodérunt manus meas, & pedes meos : dinumeravérunt ómnia oſſa mea.

Antiph. A planta pedis uſque ad vérticem non eſt in eo ſánitas.

Pſalmus 65.

JUbiláte Deo omnis terra, pſalmum dicite nómini

ni ejus: * date glóriam laudi ejus.

Dícite Deo, quàm terribília sunt ópera tua, Dómine! * In multitúdine virtútis tuæ mentiéntur tibi inimíci tui.

Omnis terra adóret te, & psallat tibi: * psalmum dicat nómini tuo.

Veníte, & vidéte ópera Dei: * terríbilis in consíliis super filios hóminum.

Qui convértit mare in áridam, in flúmine pertransíbunt pede: * ibi lætábimur in ipso.

Qui dominátur in virtúte sua in ætérnum, óculi ejus super Gentes respiciunt: * qui exásperant non exaltántur in semetípsis.

Benedícite Gentes Deum nostrum: * & audítam fácite vocem laudis ejus.

Qui pósuit ánimam meam ad vitam: * & non dedit in commotiónem pedes meos.

Quóniam probásti nos Deus: * igne nos examinásti, sicut examinátur argéntum.

Induxísti nos in láqueum, posuísti tribulatiónes in dorso nostro: * imposuísti hómines super cápita nostra.

Transívimus per ignem, & aquam: * & eduxísti nos in refrigérium.

Introíbo in domum tuam in holocáustis: * reddam tibi vota mea, quæ distinxérunt lábia mea.

Et locútum est os meum, * in tribulatióne mea.

Holocáusta medulláta ófferam tibi cum incénso aríetum: * ófferam tibi boves cum hircis.

Veníte, audíte, & narrábo, omnes qui timétis Deum: * quanta fecit ánimæ meæ.

Ad ipsum ore meo clamávi, * & exaltávit sub lingua mea.

Iniquitátem si aspéxi in corde meo, * non exáudiet Dóminus.

Proptéreà exaudívit Deus, * & atténdit voci deprecatiónis meæ.

Benedíctus Deus, qui non amóvit oratiónem meam, * & misericórdiam suam à me.

Glória Patri, &c.

Antiph. A planta pedis usque ad vérticem non est in eo sánitas.

Antiph. Vulnus, & livor, & plaga tumens non est circumligáta, nec curáta medicámine, neque fota óleo.

Psalmus 75.

NOtus in Judæa Deus: * in Israel magnum nomen ejus.

Et factus est in pace locus ejus: * & habitátio ejus in Sion.

Ibi confrégit poténtias árcuum, * scutum, gládium, & bellum.

Il-

Illúminans tu mirabíliter à móntibus ætérnis: * turbáti sunt omnes insipiéntes corde.

Dormiérunt somnum suum: * & nihil invenérunt omnes viri divitiárum in mánibus suis.

Ab increpatióne tua, Deus Jacob, * dormitavérunt qui ascendérunt equos.

Tu terríbilis es, & quis resistet tibi? * ex tunc ira tua.

De cælo audítum fecísti judícium: * terra trémuit, & quiévit.

Cùm exúrgeret in judícium Deus, * ut salvos fáceret omnes mansuétos terræ.

Quóniam cogitátio hóminis confitébitur tibi: * & relíquiæ cogitatiónis diem festum agent tibi.

Vovéte, & réddite Dómino Deo vestro, * omnes, qui in circúitu ejus affértis múnera.

Terríbili, & ei, qui aufert spíritum Príncipum; * terríbili apud Reges terræ.

Glória Patri, &c.

Antiphona. Vulnus, & livor, & plaga tumens non est circumligáta, nec curáta medicámine, neque fota óleo.

℣. Verè languóres nostros ipse tulit.

℟. Et dolóres nostros ipse portávit.

De Sermóne Sancti Bernárdi Abbátis.

Lib. de Pass. Domini c. 41.

Lectio iv.

Captus est Jesus post plúrimas illusiónes tam Judæórum, quàm Géntium; post sánguinis plures effusiónes clavis immítibus mánibus simul, & pédibus perforátur, & configitur ligno Crucis Salvátor noster mitíssimus Jesus. Intuére, & réspice rosam Passiónis sanguíneæ, quómodo rubet in indícium ardentíssimæ charitátis. Conténdunt pássio, & cháritas: ista, ut plus árdeat; illa, ut plus rúbeat.

℟. Per mortem destrúxit Jesus eum, qui mortis habébat impérium: * Ut liberáret eos, qui timóre mortis obnóxii erant servitúti. ℣. Unde débuit per ómnia frátribus assimilári, ut miséricors fieret. Ut liberáret.

Lectio v.

Vide quómodo hoc flore rosæ floruérit óptima vitis nostra rubicúndus Jesus. Vide totum corpus, sicubi rosæ sanguíneæ florem non invénias. Inspice manum unam, & álteram, si florem rosæ non invénias in utráque. Inspice pedem unum, & álterum, numquid non róseï? Inspice láteris apertúram, quia nec illa caret rosa, quamvis ipsa subrú-

rúbea sit, propter mixtúram aquæ: quia sicut narrat Evangelísta, cùm unus militũ láncea latus ejus perforásset, exívit sanguis, & aqua.

℟. Per hóminem mors, & per hóminem resurréctio mortuórum. * Et sicut in Adam omnes peccavérunt, ita in Christo omnes vivificabúntur. ℣. Novíssimè autem inimica destruétur mors. Et sicut.

Ex eódem Divo Bernárdo.

Serm. de Pass. Domini.

Lectio vi.

Respice Dómine Sancte Pater de Sanctuário tuo, & de excélso cælórum habitáculo, & intuére hanc sacrosánctam Hóstia, quam tibi offert magnus Póntifex noster, Sanctus Puer tuus Dóminus Jesus, pro peccátis fratrum suórum, & esto placábilis super multitúdine malítiæ nostræ. Cognósce Pater túnicam filii tui Joseph: heu fera péssima devorávit eum, & conculcávit in furóre suo vestiméntum ejus: Ecce quinq̃ scissúras lamentábiles in eo reliquit. Quas Lusitánum Impérium in Regále Insigne mirabiliter assúmpsit. Fertur enim, quòd Dóminus Jesus Cruci affixus Alphónso Primo, cum quinque Arabum Régibus prælium initúro, in agro Ouriquénse appárens, eique insperátam victóriam promíttens, júsierit, ut ex prétio, quo humánum genus redémerat, Regále Insigne compóneret; indeque sanctíssimis Christi Vulnéribus in toto Lusitáno Império peculiáris devótio habéri cœpit.

℟. Vidémus Jesum propter passiónem mortis glória, & honóre coronátum: * Ut pro ómnibus gustáret mortem. ℣. Decébat eum, qui multos filios in glóriam addúxerat, auctórem salútis eórum per passiónem consũmári. Ut pro ómnibus. Glória Patri. Ut pro ómnibus.

In tertio Nocturno, Antiph. Quid sunt plagæ istæ in médio mánuum tuárum?

Psalmus 95.

Cantáte Dómino cánticum novum: * cantáte Dómino omnis terra.

Cantáte Dómino, & benedícite nómini ejus: * annuntiáte de die in diem salutáre ejus.

Annuntiáte inter Gentes glóriam ejus: * in ómnibus Pópulis mirabília ejus.

Quóniam magnus Dóminus, & laudábilis nimis: * terríbilis est super omnes deos.

Quóniam omnes dii Géntium dæmónia; * Dóminus autem cælos fecit.

Conféssio, & pulchritúdo in conspéctu ejus: * sanctimó-

mónia, & magnificéntia in sanctificatióne ejus.

Afférte Dómino pátriæ Géntium; afférte Dómino glóriam & honórē; * afférte Dómino glóriā nómini ejus.

Tóllite hóstias, & introíte in átria ejus: * adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Commoveátur à fácie ejus univérsa terra: * dícite in Géntibus, quia Dóminus regnávit.

Etenim corréxit orbem terræ, qui non commovébitur: * judicábit Pópulos in æquitáte.

Læténtur cæli, & exúltet terra; commoveátur mare, & plenitúdo ejus; * gaudébunt campi, & ómnia, quæ in eis sunt.

Tunc exultábunt ómnia ligna silvárum à fácie Dómini, quia venit; * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terræ in æquitáte, * & pópulos in veritáte sua.

Glória Patri, &c.

Antiphona. Quid sunt plagæ istæ in médio mánuum tuárum?

Antiphona. His plagátus sum in domo eórum, qui me diligébant.

Psalmus 96.

DOminus regnávit, exúltet terra; * læténtur ínsulæ multæ.

Nubes, & calígo in circúitu ejus: * justítia, & judícium corréctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcédet: & inflammábit in circúitu inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ: * vidit, & commóta est terra.

Montes sicut cera fluxérunt à fácie Dómini; * à fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt cæli justítiam ejus; * & vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Confundántur omnes, qui adórant sculptília, * & qui gloriántur in simulácris suis.

Adoráte eum omnes Angeli ejus: * audívit, & lætáta est Sion.

Et exultavérunt filiæ Judæ, * propter judícia tua, Dómine:

Quóniam tu Dóminus Altíssimus super omnem terram: * nimis exaltátus es super omnes deos.

Qui dilígitis Dóminum, odíte malum: * custódit Dóminus ánimas Sanctórum suórum, de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta est justo, * & rectis corde lætítia.

Lætámini justi in Dómino, * & confitémini memóriæ sanctificatiónis ejus.

Glória Patri, &c.

Antiphona. His plagátus sum in

in domo eórum, qui me diligébant.

Antiphona. In amaritúdine sermo meus est, & manus plagæ meæ aggraváta est super gémitum meum.

Psalmus 97.

CAntáte Dómino cánticum novum, * quia mirabília fecit.

Salvávit sibi déxtera ejus, * & bráchium sanctum ejus.

Notum fecit Dóminus salutáre suum: * in conspéctu Géntium revelávit justítiam suam.

Recordátus est misericórdiæ suæ, * & veritátis suæ dómui Israel.

Vidérunt omnes términi terræ * salutáre Dei nostri.

Jubiláte Deo omnis terra: * cantáte, & exultáte, & psállite.

Psállite Dómino in cíthara; in cíthara, & voce psalmi: * in tubis ductílibus, & voce tubæ córneæ.

Jubiláte in conspéctu Regis Dómini: * moveátur mare, & plenitúdo ejus: orbis terrárum, & qui hábitant in eo.

Flúmina plaudent manu, simul montes exultábunt à conspéctu Dómini: * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terrárum in justítia, * & Pópulos in æquitáte.

Glória Patri.

Antiphona. In amaritúdine sermo meus est, & manus plagæ meæ aggraváta est super gémitum meum.

℣. Ipse vulnerátus est propter iniquitátes nostras.

℟. Attritus est propter scélera nostra.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Joánnem.

Lectio vii. *Cap.* 19.

IN illo témpore: Sciens Jesus, quia ómnia consummáta sunt, ut consummarétur Scriptúra, dixit: Sítio. Et réliqua.

Homilia Sancti Cyrilli Epíscopi Alexandrini.

Lib. 12. *Comment. in Joann.*

CUm ab immánibus Judæis omnis in Christũ expléta esset impíetas, nec quidquam jam ad summam credulitátem réliquum esset, ad extrémum caro Christi sanctíssima própriũ quiddam, ac naturále rursus pátitur. Multis enim, ac váriis dolóribus exsiccáta, siti torquétur, siquidem dolóres magnam ad sitim commovéndam vim habent, naturáli quodam, & inexplicábili calóre húmidum consuméntes, & ígneis ardóribus præcórdia uréntes.

℟. Manifestáta est grátia Dei per illuminatiónem Salvatóris nostri Jesu Christi. * Qui destrúxit mortem, illuminávit autem vitam in incor-

corruptiónem. ℣. Liberávit & vocávit nos vocatióne sua sancta per grátiam, quæ data est nobis in Christo. Qui destrúxit mortem.

Benedict. Divínũ auxílium.

Lectio viii.

CONsummátum esse ait impietátis Judáicæ modum, & impoténtem sæviéndi ánimum. Quid enim Judæi intentátum reliquérunt, aut quid non extrémæ crudelitátis adhibuérunt? Quod supplícii, aut contuméliæ genus prætermisérunt? Quamóbrem jure, consummátum esse, ait, sed hora jam eum ad prædicándum spirítibus, qui apud ínferos erant, invitánte, (advénit enim ut mortuórum, ac vivórum dominarétur) ipsam pro nobis mortem suscépit, commúnem hanc natúræ nostræ passiónẽ sustínuit in carne sua.

℟. Dignus es Dómine accípere librum, & aperíre signácula ejus, quóniam occísus es, & redemísti nos Deo, * In sánguine tuo. ℣. Fecísti enim nos Deo nostro Regnum, & Sacerdótes. In sánguine tuo. Glória Patri. In sánguine tuo.

Nona Lectio de feria.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio ix. *Cap.* 5. g

IN illo témpore: Dixit Jesus Discípulis suis: Audístis quia dictum est: Díliges próximum tuum, & ódio habébis inimícum tuum. Et réliqua.

Homilía S. Hierónymi Presb. *Lib.* 1. *Comment. in cap.* 1. *& 6. Matth.*

EGo autem dico vobis: Dilígite inimícos vestros: benefácite his, qui odérunt vos. Multi præcépta Déi, imbecillitáte sua, non Sanctórum víribus æstimántes, putant esse impossibília quæ præcépta sunt; & dicunt sufficere virtútibus, non odísse inimícos; céterum dilígere plus præcipi, quàm humána natúra patiátur. Sciéndũ est ergo, Christum non impossibília præcípere, sed perfécta. Quæ fecit David in Saul, & in Absalon? Stéphanus quoque martyr pro inimicis lapidántibus deprecátus est: & Paulus anáthema cupit esse pro persecutóribus suis. Hæc autem Jesus & dócuit & fecit, dicens: Pater, ignósce illis; quod enim fáciunt, nésciunt.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES,

& per Horas, Antiph.

VErè languóres nostros ipse tulit, & dolóres nostros ipse portávit.

Psalm. Dóminus regnávit. *cum réliquis de Laudibus Domínicæ, ut in Psalt.*

An-

Antiphona. Ipse autem vulnerátus est propter iniquitátes nostras, attrítus est propter scélera nostra.

Antiph. Alligávit Dóminus plagam pópuli sui, & percussúram ejus sanávit.

Antiph. Omnis, qui transíbit, stupébit super omnes plagas ejus.

Antiph. O vos omnes, qui transitis per viam, atténdite, & vidéte, si est dolor, sicut dolor meus.

Capitulum. *Isaiæ* 53.

CHristus vulnerátus est propter iniquitátes nostras, attrítus est propter scélera nostra, cujus livóre sanáti sumus.

Hymnus.

LUstra sex qui jā perégit,
Tēpus implés córporis,
Sponte líbera Redémptor
Passióni déditus,
Agnus in Crucis levátur
Immolándus stípite.

Felle potus ecce languet,
Spina, clavi, láncea,
Mitte corpus perforárunt:
Unda manat, & cruor:
Terra, pontus, astra, mundus,
Quo lavántur flúmine!

Crux fidélis inter omnes
Arbor una nóbilis:
Silva talem nulla profert
Fronde, flore, gérmine:
Dulce ferrum, dulce lignum,
Dulce pondus sústinent.

Flecte ramos arbor alta,
Tensa laxa víscera;
Et rigor lentéscat ille,
Quem dedit natívitas:
Et supérni membra Regis
Tende miti stípite.

Sola digna tu fuisti,
Ferre mundi víctimam:
Atque portum præparáre
Arca mundo náufrago,
Quam sacer cruor perunxit,
Fusus Agni córpore.

Sempitérna sit beátæ
Trinitáti glória,
Æqua Patri, Filióque,
Par decus Paráclito:
Unius, Trinique nomen
Laudet univérsitas.

Amen.

℣. Vidébunt in quem transfixérunt.

℟. Et dolébunt super eum, ut in morte primogéniti.

Ad Benedictus, Antiphona. Unus mílitum láncea latus ejus apéruit, & continuò exívit sanguis, & aqua.

Oratio.

DEus, qui Unigéniti Filii tui passióne, & per quinque Vúlnera ejus sanguinis effusióne, humánam natúram peccáto pérditam reparásti; tríbue nobis, quæsumus, ut qui ab eo suscépta Vúlnera venerámur in terris, ejúsdem pretiosíssimi Sánguinis fructum cónsequi mereámur in cælis. Per eúmdem.

Et fit commem. Feriæ.

Ad Primam, Antiphona. Verè languóres nostros.

Ad

Ad Tertiam, Antiphona. Ipse autem.

Capitulum. *Isai.* 53.

CHristus vulnerátus est propter iniquitátes nostras, attrítus est propter scélera nostra, cujus livóre sanáti sumus.

℟. *br.* Fodérunt manus meas, * Et pedes meos. Fodérunt. ℣. Dinumeravérunt ómnia ossa mea. Et pedes. Glória Patri. Fodérunt.

℣. O vos omnes, qui transitis per viam.

℟. Atténdite, & vidéte dolórem meum.

Ad Sextam, Antiphona. Alligávit.

Capitulum. *Isai.* 50.

FAciem meam non avérti ab increpántibus, & conspuéntibus in me: Dóminus Deus auxiliátor meus, ideò non sum confúsus.

℟. *br.* Verè languóres nostros, * Ipse tulit. Verè languóres nostros. ℣. Et dolóres nostros ipse portávit. Ipse. Glória Patri. Verè languóres nostros.

℣. Disciplína pacis nostræ super eum.

℟. Et livóre ejus sanáti sumus.

Ad Nonam, Antiphona. O vos omnes.

Capitulum. *Isai.* 53.

TRádidit Christus in mortem ánimã suam, & cum sceleràtis reputátus est, & ipse peccáta multórum tulit, & pro transgressóribus rogávit.

℟. *br.* Ipse vulnerátus est, * Propter iniquitátes nostras. Ipse. ℣. Attrítus est propter scélera nostra. Propter. Glória Patri. Ipse.

℣. Oblátus es, quia ipse vóluit. ℟. Et non apéruit os suum.

In secundis Vesperis, Antiph. Verè languóres, *cum reliquis de Laudibus, Psalmi, Capitulum, Hymnus, & Vers. ut in primis Vesp.*

Ad Magnificat, Antiphona. Ego sum vestra Redémptio: manus meæ, quæ vos fecérunt, clavis confixæ sunt: propter vos flagéllis cæsus, & spinis coronátus sum: aquam pétii pendens, & acétum porrexérunt, in escam meam fel dedérunt, & in latus lánceam: mortuus, & sepúltus resurréxi: vobíscũ sum, & vivo in ætérnum.

Oratio, ut supra.

Et fit commem. Feriæ.

FINIS.

PROPRIUM SANCTORUM OLISIPONENSIS ECCLESIÆ.

PARS VERNA.

FESTA MARTII.

DIE XIII. MARTII.

In Festo B. Sanciæ Virginis, semiduplex.

Omnia de Communi Virginum, præter ea, quæ sequuntur.

Oratio.

DEus, qui Beátam Sánciam Vírginem tuam multíplici gratiæ tuæ dote locupletátam à terrénis ad cæléstes Agni núptias evocásti: da, ut ejus auxílio, & imitatióne, puris tibi méntibus juncti promíssa mundis corde præmia consequámur. Per Dóminum nostrum, &c.

Fit commem. Feriæ.

Lectiones primi Noct. de Communi Virg. primo loco.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

SAncia Patre Sáncio Primo Lusitanórum Rege nata, admirábilem córporis pulchritúdinem præcelléntis ánimi dótibus multò réddidit pulchriórem. Puélla divínis jam tum assuéscens, pios libros idéntidem versábat, è quorum lectióne, quasi admótis fácibus, sic exársit, ut nihil tentáre, ac pati virtútis causa dubitáverit. Ténerum corpúsculum cruéntis verberatiónibus, áspero cilício, & frequéntibus jejúniis macerábat: humi, aut in prædúro súberis córtice, ligno in cervícal adhíbito, recubábat. Longam, diúque protráctam oratiónem brevis somnus, & hunc rursùs orátio excipiébat. Rei Divínæ majóri, quàm pro illa ætate, pietátis sensu intéferat, atque Horas Canónicas, flexis quotídie génibus, recitábat. Beatíssimam Vírginem Maríam præcípua quadam religióne, atque observántia cóluit: adeóque, vel visa ipsíus imágine, vel audito nómine, incendebátur, ut intuéntibus quoque eámdem spíritus suavitátem non semel affláverit. Vera egenórum mater eos omni ope frequénter sublevábat, sólita síngulis quartis fériis duódecim indigéntes fœminas in régiam admíssas liberáli cœna refícere, pecuniáque, &

véstibus donátas dimíttere.

℟. Propter veritátem, & mansuetúdinem, & justítiam: * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua, inténde, prósperè procéde, & regna. Et dedúcet.

Lectio v.

MOrtuo Patre, aulæ delícias pertæsa Alanquérium, in dotále óppidum, se cóntulit, ubi cum domésticis fœminis religiósæ vitæ prolúdens própria domo, velut in Monastérium, mutata, sibi, ac Deo impénsiùs vacáre cœpit. Illic quinque Marochiénses Mártyres è Franciscána Família aliquándiu apud se hábuit, sæpiúsque de divínis colloquéntes audivit, eorúmque propósito veheménter collaudáto, rebus ómnibus instrúctus in Africam dimísit. Ii verò eádem, qua martyrii palmam adépti sunt, hora, suum intra concláve oránti Sánciæ multa luce circumfúsi apparuére, sibique de jam parta felicitáte gratulántem súmo religiósæ perfectiónis stúdio incendérunt. Quaprópter, Alanquério relícto, regiáque in Franciscáni Ordinis Cœnóbium convérsa, ad Cellas, óppidum propè Conímbricam, secéssit, ibique in amplíssimo Cœnóbio, quod extrúxerat, Cisterciénse institútũ ampléxa est, frustrà repugnante Alphónso fratre, & ad núptias quà vi, quà blandítiis impelléente; cùm puélla matri disértè prædixísset, fieri non posse, ut ulli hóminum núberet, quam sibi uni Christus jam multò antè despónderat; & malle se, illibáto virginitátis flore, tárdiùs, quàm illicò à nuptiis cælum conscéndere.

℟. Dilexísti justítiam, & odísti iniquitátem: * Propté reà unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætitiæ. ℣. Propter veritátem, & mansuetúdinẽ, & justítiam. Proptérea.

Lectio vi.

MIrum in ea fuit oratiónis stúdium, sui displicéntia, vitæ aspéritas, fortitúdo, & in omnes effúsa cháritas. Quas virtútes cæléstis Sponsus ita novis semper accessiónibus cumulávit, ut absolutíssimum in ea sanctimóniæ exémplar expressísse viderétur. Prophético spíritu affláta futúra multa prænóvit, & secretióra córdium arcána penetrávit: quæ cùm soróribus intérdum aperíret, omnes deinceps in officio continuit, némine eárum quidquam licéntiùs audénte, cùm scirent, sanctæ Princìpi, vel abditíssimas quasque ánimi látebras, recessúsque patére.

Déni-

Dénique extrémo morbo hilari semper vultu, & cum gratiárum actióne toleráto, procuratóque Sacraméntis ómnibus ánimo, ad Divíni Sponsi castíssimos ampléxus evolávit. Corpus à Beáta Terésia, ejus soróre, Lorvánum státim ab óbitu translátum, atque in sepúlchro, quod sibi comparáverat, locátum, emíssa ingénti luce, rutiláre visum est. Aliis prætéreà miráculis ante, & post óbitum illústris magno stúdio, & exímia religióne, in tota Lusitánia celebrátur.

℟. Afferéntur Regi vírgines post eam, próximæ ejus, * Afferéntur tibi in lætítia, & exultatióne. ℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua, inténde, prósperè procéde, & regna. Afferéntur. Glória Patri. Afferéntur.

In tertio Nocturno de Communi Virgin. primo loco.

Nona Lectio Homiliæ, & commem. feriæ occurr.

DIE XXII. MARTII.

In Festo S. Emygdii Episcopi, & Martyris, duplex.

Omnia de Communi unius Martyris, exceptis quæ hic propria ponuntur.

Hymnus.

Ad Vesperas.

JEsu, Coróna Mártyrum,
Qui post cruénta prælia
Ad sempitérna præmia
Sanctú vocásti Emygdium.
Casti cruóris púrpura,
Pálmaque ovántem nóbili
Inter Choros cæléstium
Reples beáto lúmine.
Nunc ejus ad victórias
Nos somnoléntos éxcita,
Virtútis ad præcónia
Sopóre mersos líbera.
Ut invocátus réddidit
Membris salútem lánguidis,
Sic labe prorsus críminum
Arcána purget méntium.
Ut éditis miráculis
Aras deórum díruit;
Sic damna præsens árceat
Quæcúmque nobis ímminent.
Ut voce quondam súbstulit
Cultus nefándos dæmonum,
Sic ímpetret precántibus
Ætérna cæli gáudia.
Tu postulátis ánnue,
Rex magne Jesu Mártyrum,
Cùm Patre, & almo Spíritu,
Regnans per omne sæculum.
Amen.

℣. Méritis, & précibus Beáti Emygdii.
℟. Propítius esto, Dómine, Clero, & pópulo tuo.

Ad Magnificat in utrisque Vesperis, Antiph.

O Emygdi Martyr glorióse, quos in Christo genuísti filios, & veræ Fidei lacte enutrísti, tua, quæsumus, orátio comméndet nos indesinénter Deo.

Oratio.

DEus, qui Beátum Emygdium Mártyrem tuum, atque Pontíficem idolórum victóriâ, & miraculórum glóriâ decorásti: concéde propítius, ut eo interveniénte malórum spirítuum fraudes víncere, & coruscáre virtútibus mereámur. Per Dóminum.

AD MATUTINUM.

Invitatorium.

REgem Mártyrum Dóminum. * Venite adorémus.

Hymnus.

AUdiat miras óriens, cadénsque
Sol tuas laudes, celebrésque palmas
Præsul Emygdi cólumen, tuæque
Glória gentis.
O' Jubar cæli rádiis decórum,
O' potens signis, meritísque felix,
Quem Deus gestis adhibéri suévit
Grándibus olim.
Ethnico primum génitus parénte,
Illicò nomē Súperis dedisti;
Mox feras gentes numerósa reddis
Agmina Christo.
Imperas saxo, látitans repénte
Lympha consúrgit, fluitans salúbri,
Fonte baptísmi, populósque lustras
Flúmine sacro.
Péctoris duros silices repélle,
Saxeum cordis túmidi rigórem
Cóntere, ut sordes lacrymósa manans
Abluat unda.
Non times sævi rábiem Tyránni,
Sánguine effúso, generóse Martyr,
Quin tibi abscíssum caput usque ad aras
Mórtuus effers.
Nunc triumphátor super astra regnans,
Sémitam nobis, aditúmque monstra,
Súpplices Ductor génitos supérnis
Sédibus infer.
Annuat cælo Pater, atque Natus,
Annuat compar utriúsque virtus
Spíritus votis Deus unus omni
Témporis ævo. Amen.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In Quadragesima verò dicuntur de Communi unius Martyris 1. loco A' Mileto.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

EMygdius è nóbili Francórum prosápia Tréveris natus, anno ætátis vigésimo

ſimo tértio, paréntibus idólatris fruſtra obſtántibus, fidem Chriſti ſuſcépit, & conſtantíſſimè proféſſus eſt. Cum tribus diſcípulis, Euplo, Germáno, & Valentíno, vitam duxit, humánis ſpretis obleƈtaméntis, rebus divínis plénius incumbébat. Erga próximum charitátis ardóre æſtuábat; idcircò ad procurándam multórum ſalútem, Romam ſe cóntulit. Hoſpítio excéptus in Inſula Tyberis, hóſpitis filiam per quinquénnium jam immedicábili morbo languéntem baptíſmo ſanávit.

℟. Honéſtum fecit illum Dóminus, & cuſtodívit eum ab inimícis, & à ſeduƈtóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Deſcendítque cum illo in fóveam, & in vínculis non derelíquit eum. Et dedit.

Leƈtio v.

MOx óculis cæci, coram pópulo, ſigno Crucis apértis, à multitúdine, eum Apóllinis filium credénte, in templum Æſculápi rápitur. Ibi Chriſti ſervum ſe proféſſus, ejus invocatióne magnum númerum ægrórum, ne quidquam idóli opem implorántium valetúdini reſtítuit, aras diruit, Æſculápii ſignum confráƈtum in Tyberim projécit. Quibus rebus, & mille tercentórum Gentílium, præter Æſculápii Sacerdótes, converſióne indè ſequúta, irritáti Poſthúmii Titiáni Præféƈti Urbis minas Angeli mónitu declinans, Sanƈtum Marcéllum Pontíficem ádiit, à quo Epíſcopus ordinátus, & Aſculum miſſus eſt.

℟. Deſidérium ánimæ ejus tribuíſti ei, Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudáſti eum. ℣. Quóniam prævéniſti eum in benediƈtiónibus dulcédinis: poſuíſti in cápite ejus corónam de lápide pretióſo. Et.

Leƈtio vi.

MUltis in itínere miráculis ingénti multitúdine Chriſto adjúnƈta ſimul ac Aſculum Emygdius pervénit, dæmones è ſimulácris idolórum per cunƈta fana ejulátibus éditis, peregrínam dolóris ſui cauſam indicárunt, quem Emygdium cùm incitáta plebs ad cædem quæreret, éxcitus tumúltu Polímnius Civitátis Præſes eum ad ſe vocátum multis, ſed írritis verbis ad Jovis, & Angáriæ Deæ Aſculi Patrónæ veneratiónem hortátur; promíſſis étiam in præmium núptiis própriæ filiæ Poliſiæ, quam Emygdius ad Chriſtum convérſam baptizávit, & poſt eam mille & ſexagínta hómines, edúƈta è ſaxo per ingens miráculum aquárum

rum

rum cópia. His in rábiem actus Polímnius Sancto Epíscopo caput abscídit; quo facto, truncus ejus mirabiliter eréctus abjéctum humo próprium caput tollens, mánibus per spátium tercentórum pássuum ad oratórium portávit. Undè ad templum máximum translátus, ubi magnâ religióne Asculáni pópuli, & concúrsu externórum hunc usque in diem cólitur. Incidit ejus beáta pássio persecutióne Diocletiáni duránte.

℟. Stola jucunditátis índuit eum Dóminus: * Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitæ, & intelléctus: & aqua sapiéntiæ salutári potávit illum. Et corónam. Glória Patri. Et corónam.

In tertio Nocturno Homilia in Evangelium Si quis venit ad me, *de Communi unius Martyris.*

AD LAUDES.

Omnia de Communi unius Martyris, præter ea, quæ sequuntur.

Hymnus. Jesu coróna Mártyrum, *ut supra ad Vesperas.*

℣. Ora pro nobis, Sancte Pater Emygdi.

℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Benedictus, Antiphona.

Vir ineffábilis, per quem nobis antiqua prodigia Moysis corúscant, cujus nútibus è saxo aqua baptísmatis Asculáno pópulo emanávit, per quem Evangélica lux effúlsit, quem triúmphans excépit Cúria cæléstis, illic, pro nobis intercédere dignétur, ut suo mereámur gaudére consórtio.

Ad secundas Vesperas omnia ut in primis, sed loco ultimi Psalm. Crédidit.

FESTA APRILIS.

FERIA II. POST DOMINICAM IN ALBIS.

Festa Gaudiorum B. Mariæ Virginis, duplex ii. classis.

AD VESPERAS.

In Vesperis, ut in Officio parvo B. M. & cuilibet Antiph. & ℣. additur Allelúia.

Ad Magnificat, Antiphona.

Regina cæli, lætáre, allelúia: Quia quem meruísti portáre, allelúia: Resurréxit sicut dixit, allelúia. Ora pro nobis Deum, allelúia.

Oratio Concéde, *ut ibidem.*

Et fit commem. Dominicæ in Albis.

Ad Matut. ut in Officio parvo, sed Invitat. & Antiphonæ. Nocturnor. additur Allelúia, &

& tres Psalmi dicuntur sub sola prima Antiphona cujuslibet Nocturni.

In primo Nocturno.

℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua, allelúia.

℟. Inténde, prósperè procéde, & regna, allelúia.

De Cánticis Canticórum.

Lectio i. Cap. 5.

VEniat diléctus meus in hortum suum, & cómedat fructum pomórum suórum. Veni in hortum meum, soror mea sponsa, méssui myrrham meam cum aromátibus meis: comédi favum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo: comédite amíci, & bíbite, & inebriámini charíssimi. Ego dórmio, & cor meum vígilat: vox dilécti mei pulsántis: Aperi mihi, soror mea, amíca mea, colúmba mea, immaculáta mea: quia caput meum plenum est rore, & cincínni mei guttis nóctium. Péssulum óstii mei apérui dilécto meo, at ille declináverat, atque transíerat.

℟. Sancta, & immaculáta virgínitas, quibus te láudibus éfferam, néscio: * Quia quem cæli cápere non póterant, tuo grémio contulísti, allelúia. ℣. Benedícta tu in muliéribus, & benedíctus fructus ventris tui. Quia quem cæli cápere.

Lectio ii. Cap. 5. & 6.

QUò ábiit diléctus tuus, o pulchérrima mulíerum? Quò declinávit diléctus tuus, & quærémus eum tecum? Diléctus meus descéndit in hortum suum ad aréolam arómatum, ut pascátur in hortis, & lília cólligat. Ego dilécto meo, & diléctus meus mihi, qui páscitur inter lília. Pulchra es, amíca mea, suávis, & decóra sicut Jerúsalem: terríbilis ut castrórum ácies ordináta. Avérte óculos tuos à me, quia ipsi me avoláre fecérunt. Capílli tui sicut grex caprárum, quæ apparuérunt de Gálaad. Dentes tui sicut grex óvium, quæ ascendérunt de lavácro, omnes geméllis fœtibus, & stérilis non est in eis.

℟. Congratulámini mihi omnes, qui dilígitis Dóminum, quia cùm essem párvula, plácui Altíssimo, allelúia: * Et de meis viscéribus génui Deum, & hóminem, allelúia, allelúia. ℣. Beátam me dicent omnes generatiónes, quia ancíllam húmilem respéxit Deus. Et de meis.

Lectio iii. Cap. 8.

QUis mihi det te fratrem meum sugéntem úbera matris meæ, ut invéniam te foris, & deósculer te, & jam me nemo despíciat? Apprehéndam te, &

& ducam in domum matris meæ: ibi me docébis, & dabo tibi póculum ex vino cóndito, & mustum malórum granatórum meórum. Læva ejus sub cápite meo, & déxtera illíus amplexábitur me. Adjúro vos, filiæ Jerúsalem, ne suscitétis, neque evigiláre faciátis diléctam, donec ipsa velit. Quæ est ista, quæ ascéndit de desérto, delíciis áffluens, innixa super diléctum suum? Sub árbore malo suscitávi te: ibi corrúpta est mater tua, ibi violáta est génitrix tua.

℟. Beata es, Virgo María, quæ Dóminum portásti Creatórem mundi, allelúia: * Genuísti, qui te fecit, & in ætérnum pérmanes virgo, allelúia, allelúia. ℣. Ave María, grátia plena, Dóminus tecum. Genuísti. Glória Patri. Genuísti.

In secundo Nocturno.

℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo, allelúia.

℟ Deus in médio ejus, non commovébitur, allelúia.

Sermo Sancti Augustíni Epíscopi.

In Assumptione B.M.V. Serm. 2. qui est de Sanctis, Sermo 53.

Lectio iv.

LOquámur áliquid, fratres, in láudibus sacratíssimæ Vírginis. Sed quid nos tantílli? Quid actióne pusílli? Quid in ejus láudibus referémus, cùm etsi ómnium nostrum membra verteréntur in linguas, eam laudáre sufficeret nullus? Altior cælo est, de qua lóquimur: abysso profúndior, cui laudes dícere conámur. Hæc est enim, quæ sola méruit Mater, & Sponsa vocári: hæc primæ matris damna resólvit: hæc hómini pérdito redemptiónem addúxit. Mater enim géneris nostri pœnam íntulit Mundo: Génitrix Dómini nostri salútem édidit Mundo. Auctrix peccáti Heva, auctrix mériti María. Heva occidéndo óbfuit: María vivificándo prófuit: illa percússit, ista sanávit.

℟. Sicut cedrus exaltáta sum in Líbano, & sicut cypréssus in monte Sion: quasi myrrha elécta, * Dedi suavitátem odóris, allelúia, allelúia. ℣. Et sicut cinnamómum, & bálsamum aromatízans. Dedi suavitátem.

Lectio v.

HÆc enim mirábili modo ómnium rerum, & suum péperit Salvatórem. Quæ hæc Virgo tam sancta, ad quam venire dignarétur Spíritus Sanctus? Quæ tam speciósa, ut eam sibi Deus elígeret Sponsam? Quæ tam casta, ut esse posset virgo post partum? Hæc est Dei tem-

templum, fons ille signátus, & porta in domo Dei clausa: ad hanc namque, ut dixi, Spiritus Sanctus descéndit, hanc virtus Altissimi obumbrávit. Hæc est immaculáta cóitu, fœcúnda partu, virgo lactans, Angelórum, & hóminum cibum nútriens. Méritò namque beáta singulári à nobis præcónio extóllitur, quæ singuláre cómércium mundo præbuit. Dénique tantùm se ad cæli fastígia sublevávit, ut Verbum in princípio apud Deum de supérna cæli arce susciperet.

℟. Quæ est ista, quæ procéssit sicut Sol, & formósa tamquam Jerúsalem? * Vidérunt eam filiæ Sion, & beátam dixérunt, & Regínæ laudavérunt eam, allelúia, allelúia. ℣. Et sicut dies Verni circúmdabant eam flores rosárum, & lília convállium. Vidérunt eam.

Lectio vi.

OH felix Maria, & omni laude digníssima! Oh Virgo Dei Génitrix glorióſa! Oh sublímis Puérpera, cujus viscéribus Auctor cæli, terræque committitur! Oh felícia óscula lacténtis labiis impréssa! Cùm inter crebra indícia reptántis infántiæ, utpotè verus ex te Filius tibi Matri allúderet, cùm verus ex Patre Dóminus imperáret. Nam Auctórem tuum ipsa concípiens, edidísti in témpore Redemptórem, quem habébas ante témpora Conditórem. Oh felix puerpérium, lætábile Angelis, optábile Sanctis, necessárium perdítis, cóngruum profligátis! Qui post multas assúmptæ carnis injúrias, & ad últimum verberátus flagris, potátus felle, affixus patíbulo, ut te veram Matrem osténderet, verum se hóminem patiéndo monstrávit.

℟. Ornátam monílibus filiam Jerúsalem Dóminus concupívit: * Et vidéntes eam filiæ Sion, beatíssimam prædicavérunt, dicéntes: Unguéntum effúsum nomen tuum, allelúia, allelúia. ℣. Astitit Regína à dextris tuis in vestítu deauráto, circúmdata varietáte. Et vidéntes eam. Glória Patri. Et vidéntes.

In tertio Nocturno.

℣. Elégit eam Deus, & præelégit eam, allelúia.

℟. In tabernáculo suo habitáre facit eam, allelúia.

Léctio Sancti Evangélii secúndùm Joánnem.

Lectio vii. *Cap.* 19.

IN illo témpore: Stabant juxta Crucem Jesu Mater ejus, & soror Matris ejus María Cléophæ, & María Magdaléne. Et réliqua.

Ho-

Homilía Sancti Joánnis Chrysóstomi.

Homilia 4. in Joann.

CHristus crucifixus Matrem suam Discípulo comméndat: erúdiens nos ad últimum usque spíritum, paréntum curam habéndam. Cùm intempestívè ab ea appellátus est, inquit: Quid mihi, & tibi múlier? Et álibi: Quæ est mater mea? Hic imménsam charitátem osténdit, & comméndat eam Discípulo, quem diligébat. Iterùm nomen suum modéstè súbticet Joánnes: nam si se jactáre voluísset, quamóbrem diligerétur, exposuísset: credíbile enim est magnam esse, & admirándam. Qua autem grátia nihil áliud dicit Joánni, neque eum consolátur? Quod intempestivum erat prætéreà non parvo eum honóre his verbis afficiébat, neque parvum præséntiæ suæ præmium capiébat.

℟. Felix namque es, sacra Virgo María, & omni laude digníssima: * Quia ex te ortus est Sol justítiæ, Christus Deus noster, allelúia, allelúia. ℣. Ora pro pópulo, intérveni pro Clero, intercéde pro devóto fœmíneo sexu: séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam sanctam Festivitátem. Quia ex te.

Lectio viii.

TU autem considera, quómodo crucifixus omnis sine áliqua perturbatióne transégit: Discípulo Matrem commendávit, prophetias implévit, Latróni spem bonam dedit. Atqui ántequam crucifigerétur, sudávit, perturbátus est, tímuit: quid hoc sibi vult? Nihil dúbii, nihil non maniféstum: illic enim natúræ imbecíllitas, hic potéstas demonstrata est. Prætéreà his nos duóbus ádmonet, ut licèt antè malis perturbémur, non tamen abstinéndum est, quin ea subeámus: & cùm in certámen descéndimus, ómnia facília, & lévia putanda sunt. Nolímus ergo mortem formidáre. Insítus est ánimæ naturáliter vivéndi amor, sed in nobis est, vel hoc vínculum sólvere, & eam minúere cupiditátem, vel ligáre, & vehementiórem efficere.

℟. Beátam me dicent omnes generatiónes: * Quia fecit mihi Dóminus magna, qui potens est, & sanctum nomen ejus, allelúia, allelúia. ℣. Et misericórdia ejus à progénie in progénies timéntibus eum. Quia fecit mihi Dóminus. Glória Patri. Quia fecit mihi Dóminus.

Le-

Lectio ix.

STabant autem mulíeres juxta Crucem, & sicut imbecíllior sexus tunc fórtior apparuit, ita ómnia reformávit. Ipse Matrem comméndans, inquit: Ecce filius tuus. Oh honórem, quem Discípulo tribuit! Cum enim jam abíret, Matris curam Discípulo relíquit. Nam cùm par esset, utpotè Matrem dolére, & protectiónem quærere: méritò dilécto comméndat, cui étiam inquit: Ecce Mater tua. Hoc dixit, ut dilectióne devinciréntur. Quo cógnito, Discípulus eam secum addúxit. Sed cur non álius cujúspiam mulíeris méminit, cùm adéssent: Admonens quiddam ámpliùs mátribus tribuéndum. Ut enim cùm spirituália impédiunt paréntes, ne cognoscéndi quidem sunt, ita cùm nihil impédiunt, méritò ómnia his sunt tribuénda, & ómnibus præferéndi, quia genuérunt, quod educárunt, quòd innúmeras pro ipsis moléstias subiérunt.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes, & per Horas, ut in Offic. B. Mariæ in Sabbatho, sed Antiphon. additur Allelúia, *si ibi desit; & in* ℟℟. *brevib. Horarum ponuntur duo* Allelúia, *& in* ℣℣. *eorum unum* Allelúia.

Ad Benedictus, Antiphona, ut in i. Vesperis.

In secundis Vesperis, omnia ut in primis.

DIE XVI. APRILIS.

In Festo S. Engratiæ Virg. & Mart. dup. ii. class. cum Oct.

Cum Octav. (extra Quadrages.)

Omnia de Communi præter ea, quæ ponuntur.

Oratio. Deus, qui inter cétera, *ut in eodem Communi.*

In primo Nocturno, Lect. de Lib. Eccles. Confitébor, *ut in Communi Virg. ii. loco.*

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

ENgrátia Virgo filia fuit cujúsdam Príncipis, qui tunc rerum in Lusitánia potiebátur: hanc Pater Duci limitáneo Rhódani Provínciæ Narbonénsis Gálliæ desponsárat. Sæviénte autem in Christiános Daciáno Præside, cùm apud Cæsaraugústam Mártyres innumerábiles pro Christo interfécti essent, fama tantæ crudelitátis ánimum generósæ Vírginis Engrátiæ non perturbávit, sed pótiùs máximo ardóre ad martyrii palmam succéndit. Versábat namque ánimo prudens Virgo, quonam pacto virginále decus cæléstí Sponso per sánguinis effusiónem copuláret. Cùmque ejus profectiónem Pater

ter maturáret, exultábat Virgo interióri lætítia, arbitráta ejus itíneris occasióne viam sibi ad id, quod ánimo concéperat, aperíri. Profécti igitur cum decem & octo equítibus, quos illi Pater ad custódiam assignáverat, Cæsaraugústam venit, & Daciánum pro tribunáli sedéntem sic allóquitur: Cur Deum, qui in cælis est, contémnis, & coléntes eum tam atróciter intérimis?

℟. Propter veritátem, & mansuetúdinem, & justítiam: * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua, inténde, prósperè procéde, & regna. Et dedúcet.

Lectio v.

QUam cùm audísset Daciánus, supérbiæ spíritu inflátus præcépit eam cum sóciis comprehéndi, & in illórum conspéctu flagellári, & ad caudam equi per civitátem trahi. Altera autem die sedens pro tribunáli dixit ei: Vana puélla, numquid cognóscis jam te erráſſe, ut dimíssa vanitáte tua, torménta innumerabília tibi paráta evádas? Engrátia respóndit: Tibimetípsa pótiùs lóquere, qui tanta Dei magnália in Christi mílite Vincéntio expértus es, atque in símplíci hujus urbis pópulo, quem sceleratíssimè trucidásti. Ad hoc enim à Dómino meo Jesu Christo missa sum, ut te contéster, priúsquam ira Dei véniat super te. Daciánus ergo furóre insániens præcépit Virginē in equúleo torquéri, & úngulis, ac férreis pectínibus laceràri. Hæc vidéntes sócii Daciano dixérunt: Cur tantam sævítiam in fœmina, & puélla exérces? Nobíscum pótius age, qui & viri sumus; & eámdem Fidem profitémur.

℟. Dilexísti justítiam, & odísti iniquitátem: * Proptéreà unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, & mansuetúdinem, & justítiam. Proptéreà unxit te.

Lectio vi.

PRæses autem confúsus jussit eos prótinus extra murum dedúci, ac capitáli senténtia puníri, eórum verò córpora igne cremári. Decollátis igitur ómnibus, Engrátia exultábat, quòd suos ad cælum præmisísset. Iterùm post dies áliquot tribunáli sístitur, cui Præses ungues fecit éxtrahi, & mamíllas forcípibus evélli, & férreum clavum per caput usque ad cérebrum pangi. Iterúmque in equúleo levátam uncínis, & pectínibus laniári; quæ dum tália paterérur, & lacerátæ carnes ejus

ejus úngulis à córpore frustrátim separaréntur, patuérunt víscera intériùs, & jécoris pars abscíssa est cum intestínis. Sic Virgo sanctíssima inter tam vária torménta non quidem cessit, sed corpus totum reséctum, & pérvium, non habens, ubi vitam sustentáret, migrávit ad Christum: cujus corpus lácerum collegérunt fidéles, & honorificè sepeliérunt. Visi sunt autem plúrimi Angeli purpúreis dalmáticis indúti, álii tenéntes candelábra cum céreis ardéntibus, álii thuríbulis odoraménta adoléntes.

℟. Afferéntur Regi vírgines post eam, próximæ ejus: * Afferéntur tibi in lætítia, & exultatióne. ℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua, inténde, prósperè procéde, & regna. Afferéntur. Glória Patri. Afferéntur.

In tertio Nocturno.

Léctio Sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vii. *Cap. 25.*

IN illo témpore: Dixit Jesus Discípulis suis parábolam hanc: Símile erit Regnum cælórum decem virgínibus, quæ accipiéntes lámpades suas, exiérunt óbviàm Sponso, & Sponsæ. Et réliqua.

Homilía Sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 23. de verbis Domini.

ETiam ipsas vírgines, & ipsas feréntes lámpades, & álias dixit prudéntes, álias stultas: Unde intuémur? Unde discérnimus? De óleo. Aliquid magnum signíficat óleum: valde magnum. Putas, non cháritas est? Quæréndo dícimus, non senténtiam præcipitámus. Unde mihi videátur óleo cháritas significári, dicam vobis. Apóstolus dicit adhuc supereminentiórem vobis viam, quam demónstrat: si linguis hóminum loquar, & Angelórum, charitátem autem non hábeam, factus sum velut æramentárium, aut cymbalum tinniens.

℟. Hæc est Virgo sápiens, quam Dóminus vigilántem invénit, quæ accéptis lampádibus, sumpsit secum óleum: * Et veniente Dómino, introívit cum eo ad núptias. ℣. Média nocte clamor factus est, ecce Sponsus venit, exite óbviàm ei. Et veniénte.

Lectio viii.

IPsa est superéminens via, id est, cháritas, quæ mérito óleo significátur: ómnibus enim liquóribus óleum superéminet. Mitte aquam, & superinfúnde óleum, superéminet. Si órdi-

dinem servâveris, vincit: si órdinem mutáveris, vincit: cháritas numquam cadit. Quid ergo, fratres? Jam discéptémus de quinque virgínibus prudéntibus, & quinque fátuis: voluérunt óbviam ire Sponso. Quid est ire óbviam Sponso? Corde ire, expectáre ejus advéntum, sed ille tardabat.

℟. Média nocte clamor factus est: * Ecce Sponsus venit, exíte óbviam ei. ℣. Prudéntes vírgines aptáte vestras lámpades. Ecce. Glória Patri. Ecce.

Lectio ix.

PRudéntes autem illæ tulérunt óleum secum in vasis suis: stultæ verò illæ non tulérunt óleum secum in vasis suis. Unde dicit Apóstolus: Glória nostra hæc est, testimónium consciéntiæ nostræ. Ibi óleum, magnum óleum, de dono Dei est hoc óleum. Dénique hómines óleum mittere intrò possunt, olívam creáre non possunt. Ecce hábeo óleum, de Dei dono est. Habes óleum? Porta tecum. Quid est porta tecum? Intùs habe, ibi place Deo.

Te Deum laudámus.

In ii. Vesperis fit commem. S. Aniceti.

DIE XVII. APRILIS.

Secunda die infra octavam S. Engratiæ, semid.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

Reliqua omnia de Communi Virgin. primo loco.

Nona Lectio., & commem. S. Aniceti.

DIE XVIII. APRILIS.

Tertia die infra octavam.

In primo Nocturno Lect. de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

De Sermóne Sancti Ambrósii Epíscopi.

Lib. 1. de Virginibus.

Lectio iv.

EGo, licèt laudatiónem non suscéperim virginitátis, sed expressiónem, ad rem tamen pertinére árbitror, ut quæ sit ei pátria, quis auctor appáreat, ac priùs, ubi sit pátria, definiámus: si enim ibi est pátria, ubi genitále domicílium, in cælo profécto est pátria castitátis. Itaque hic ádvena, ibi íncola est. Quid autem est cástitas virginális, nisi expers contagiónis intégritas? Atque ejus auctórem quem póssumus æstimáre, nisi immaculátum Dei Fílium, cujus caro non vidit corruptiónem, divínitas non est expérta contagiónem?

℟.

℟. Propter veritátem. 12.

Lectio v.

VIdéte igitur quanta virginitátis mérita sint. Christus ante Vírginem, Christus ex Vírgine; à Patre quidem natus ante sæcula, sed ex Vírgine natus ob sæcula: illud natúræ suæ, hoc nostræ utilitátis est: illud erat semper, hoc esse vóluit. Expectáte áliud virginitátis méritum: Christus virgo, Vírginis Sponsus, & si dici potest, Christus virgineæ castitátis: virgínitas enim Christi, non virginitátis est Christus, Virgo est ergo, quæ nupsit; Virgo, quæ eum suo útero portávit; Virgo, quæ génuit; Virgo, quæ próprio lacte nutrívit.

℟. Dilexísti justítiam, 12.

Lectio vi.

DE virgínibus, inquit Apóstolus, præcéptum Dómini non hábeo. Si Doctor Géntium non hábuit, habére quis pótuit? Et præcéptum quidem non hábuit, sed hábuit exémplum; non enim imperári pótuit virgínitas, sed optári. Nam quæ supra nos sunt, in voto magis, quàm in magistério sunt. Sed volo vos, inquit, sine solicitúdine esse: nam qui sine uxóre est, solícitus est quæ Dómini sunt, quómodo pláceat Deo; & virgo cógitat, quæ Dómini sunt, ut sit sancta córpore, & spíritu; nam quæ nupta est, cógitat quæ mundi sunt, quómodo pláceat viro. Non ego quidem dissuádeo matrimónium, sed virginitátis attéxo benefícium.

℟. Afferéntur Regi. 13.

In tertio Nocturno.

Léctio Sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vii. *Cap.* 25.

IN illo témpore: Dixit Jesus Discípulis suis parábolam hanc: Símile erit Regnum cælórum decem virgínibus, quæ accipiéntes lámpades suas, exiérunt óbviàm Sponso, & Sponsæ. Et réliqua.

De Homilía Sancti Gregórii Papæ.

FAtuæ proféctò sunt vírgines, quia solam laudis transitóriæ retributiónem quærunt: unde & aptè súbditur: Quinque fátuæ, accéptis lampádibus, non sumpsérunt óleum secum: prudéntes autem accepérunt óleum in vasis suis cum lampádibus. Per óleum quippe nitor glóriæ designátur: vascula autem nostra sunt corda, in quibus férimus cuncta, quæ cogitámus. Prudéntes ergo óleum in vasis habent, quia nitórem glóriæ intra consciéntiam rétinent, Paulo attestánte, qui ait:

ait; Glória nostra hæc est, testimónium consciéntiæ nostræ. Fátuæ autem vírgines óleum secum non sumunt, quia glóriam intra consciéntiam non habent, dum hanc ab ore proximórum quærunt.

℟. Hæc est Virgo sápiens, quam. 13.

Lectio viii.

NOtándum verò, quòd omnes lámpades habent, sed óleum omnes non habent; quia plerúmque bona in se ópera tum elécti, tum réprobi osténdunt; sed soli ad Sponsum cum óleo véniunt, qui de his, quæ foris égerint, intùs glóriam requirunt. Unde per Psalmistam quoque de sancta electórum Ecclésia dícitur: Omnis glória ejus Filiæ Regis ab intus. Moram autem faciénte Sponso, dormitavérunt omnes, & dormiérunt: quia dum venire Judex ad extrémum judícium differt, elécti, & réprobi cum mortis somno sopiúntur. Dormíre étenim mori est: ante somnum verò dormitáre, est ante mortem à salúte languéscere; quia per pondus ægritúdinis pervenitur ad somnum mortis.

℟. Média nocte. 14.

Lectio ix.

MEdia autem nocte clamor factus est: Ecce Sponsus venit, exite óbviam ei. De advéntu Sponsi clamor in média nocte fit, quia sic dies judicii subrépit, ut providéri non váleat, quando venit. Unde scriptum est: Dies Dómini, sicut fur in nocte, ita véniet. Tunc omnes vírgines surgunt; quia elécti, & réprobi à somno suæ mortis excitántur. Lámpades ornant; quia sua secum ópera númerant; pro quibus ætérnam recípere beatitúdinem expéctant. Sed lámpades fatuárum vírginũ extinguúntur: quia eárum ópera, quæ clara homínibus foris apparuérunt, in advéntu Júdicis intùs obscurántur, & à Deo retributiónem non invéniunt, quia pro eis recepérunt ab homínibus laudes, quas amáverant.

Te Deum laudámus.

DIE XIX. APRILIS.

Quarta die infra Octav.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr.

In secundo Nocturno.

De Sermóne Sancti Ambrósii Epíscopi.

Lib. 1. de Virginibus.

Lectio iv.

HÆc profécto vera pulchritúdo est, cui nihil deest, quæ sola merétur audíre à Dómino: Tota es formósa, próxima mea, & reprehénsio non est in te. Ve-

Veni huc à Líbano, veni huc à Líbano, transíbis, & pertransíbis à princípio Fídei, à cápite Sanir, & Hermon, a latíbulis leónum, à móntibus pardórum. Quibus indíciis osténditur perfécta, & irreprehensíbilis virginális ánimæ pulchritúdo, altáribus consecráta divínis, inter occúrsus, & latíbula spiritáliũ bestiárum, non infléxa mortálibus, sed inténta mystériis Dei meruísse diléctum, cujus úbera plena lætítia.

℟. Propter veritátem, & mansuetúdinem. 12.

Lectio v.

IN umbra ejus concupívi, & sedi, & fructus ejus dulcis in fáucibus meis. Invéni quem diléxit ánima mea, ténui eum, & non relínquam eum: descéndat fratérnus meus in hortum suum, & mandúcet fructum pomórum suórum. Veni, frater mi, exeámus in agrum: pone me, ut sigillum in cor tuum, & velut signáculum super bráchium tuum. Fratérnus meus cándidus, & rúbeus. Decet enim, ut plenè nóveris Virgo, quem díligis, atque omni in eo & ingénitæ divinitátis, & assúmptæ mystérium incorporatiónis agnóscas.

℟. Dilexísti justítiam. 12.

Lectio vi.

CAndidus méritò, quia Patris splendor: rúbeus, quia partus Vírginis. Color in eo fulget, & rútilat utriúsque natúræ. Meménto tamen antiquióra in eo divinitátis insígnia, quàm córporis sacraménta: quia non cœpit à Vírgine, sed qui erat, venit in Vírginem: ille spretus à milítibus, ille láncea vulnerátus, ut nos sacri vúlneris cruóre sanáret, respondébit tibi profèctò: (est enim mitis, & húmilis corde, blandus aspéctu.) Exúrge Aquilo, & veni Auster, aspira hortum meum, & fluant arómata mea.

℟. Afferéntur Regi Vírgines. 13.

In tertio Nocturno.

Léctio Sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vii. *Cap. 25.*

IN illo témpore: Dixit Jesus Discípulis suis parábolam hanc: Simile erit Regnum Cælórum decem Virgínibus, quæ accipiéntes lámpades suas, exiérunt óbviàm Sponso, & Sponsæ. Et réliqua.

De Homilía Sancti Gregórii Papæ.

QUid est autem quòd tunc à prudéntibus óleum petunt, nisi quòd in advéntu Júdicis, cùm se in-

intus vácuas invénerint, testimónium foris quærunt? ac si à sua fidúcia decéptæ próximis dicant: Quia nos quasi sine ópere repélli conspícitis, dícite de nostris opéribus quod vidístis: sed prudéntes Vírgines respóndent, dicéntes: Ne fortè non sufficiat nobis, & vobis. In illo enim die (quod tamen de quibúsdam in pace Ecclésiæ quiescéntibus loquor) sibimetípsis testimónium uniuscujúsque vix súfficit, quantò minus & sibi, & próximo? Unde & prótinus per increpatiónem subdunt: Ite pótiùs ad vendéntes, & émite vobis.

℟. Hæc est Virgo. 13.

Lectio viii.

VEnditóris quippe ólei adulatóres sunt; qui enim accépta quálibet grátia, vanis suis láudibus nitórem glóriæ ásferunt, quasi óleum vendunt: de quo profécto Psalmísta dicit: Oleum autem peccatóris non impínguet caput meum. Principále étenim membrum caput est: appellatióne autem cápitis ea, quæ principátur córpori, mens vocátur: impínguat ergo caput óleum peccatóris, cùm demúlcet mentem favor adulántis. Sed dum irent émere, venit Sponsus; quia cùm vitæ suæ testimóniū à proximis quærunt, Judex venit, qui non solùm óperum, sed & córdium testis est.

℟. Média nocte. 14.

Lectio ix.

QUæ autem parátæ erant, intravérunt cum eo ad núptias, & clausa est jánua. Oh si sápere in cordis paláto possit quid admiratiónis hábeat, quod dícitur: Venit Sponsus: quid dulcédinis? Intravérunt cum eo ad núptias: quid amaritúdinis! Et clausa est jánua. Venit quippe ille, qui in advéntu suo eleménta cóncutit, in cujus conspéctu Cælum, & terra contremíscunt; unde étiam per Prophétam dícitur: Adhuc semel, ego movébo non solùm terram, sed étiam Cælum: ad cujus exámen omne humánum genus dedúcitur: cui ad vindíctam malórum, remuneratiónemque bonórum Angeli, Archángeli, Throni, Principátus, & Dominatiónem obsequúntur.

Te Deum laudámus.

DIE XX. APRILIS.

Quinta die infra Octavam.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Sermo S. Máximi Epíscopi.

Lectio iv.

CUm in toto mundo Virgíneus flos Maríæ immar-

marcescíbiles corónas innéctat, ac sceptrígeram pudóris aulam immaculáto consérvet afféctu, eoúsque intégritas persevenávit ad palmam, ut in puéllis trophæú sanctitátis arríperet, & per vestígia Matris Vírginis ad cæléstem thálamum pervaníret. Accédite ad puéllam puéllæ, & díscite quales péctore suo circà amórem Christi flammas accéndit, díscite vírgines Christi, amórem in puélla fervéntem, & omnes mundi divítias velut stércora recusántem.

℟. Propter veritátem. 12.

Lectio v.

HÆc magnum de se pudicítiæ excitávit exémplum, cùm virginitátem prætulit vitæ, omnémque à se amórem sceléstum expéllens, trophæum Crucis arrípuit Christi, & tam contra libídines, quàm étiam contra supplícia univérsa, fide pótiùs armáta, quàm ferro, fórtiter dimicávit, & vicit. Aspicit dénique blandiéntem, & rénuit: minántem atténdit, & ridet: nescit amáre áliquid, quod transit: & dum nimis virginitátem díligit, nec ludíbria, nec flammas, nec supplícia, nec carnífices métuit: postrémò nec gládium furéntis persecutóris expávit.

℟. Dilexísti justítiam. 12.

Lectio vi.

VEni jam, Virgo, ad thálamum, quem quæsísti, & pro amóre Sponsi gládium persecutóris admítte, ut Sponsam te virgínitas immaculáta cómprobet Christi, & Mártyrem conféssio probáta consignet. Felix catérva vírginum, quibus stúdium est tuæ sequi confessiónis vestígia: habébunt enim tecum corónam in Cælo, quæ tecum superavérunt inimícum in mundo. Nam sicut tibi vestígia prosequénti participátio ætérnæ remuneratiónis appáruit, ita eis te imitántibus ætérna crédimus gáudia non negánda. Itaque, ò spléndida Christo Dei Fílio, & ómnibus Angelis, atque Archángelis grata; ut nostri meminísse dignéris, quibus póssumus, précibus exorámus.

℟. Afferéntur Regi. 13.

In tertio Nocturno.

Léctio Sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vii. *Cap.* 25.

IN illo témpore: Dixit Jesus Discípulis suis parábolam hanc: Símile erit Regnum Cælórum decem Virgínibus, quæ accipiéntes lámpades suas, exiérunt óbviàm Sponso & Sponsæ. Et réliqua.

De Homilía Sancti Gregórii Papæ.

PEnsáte, fratres charíssimi, ante conspéctum tanti Júdicis, qui in illo die terror erit, quando jam in pœna remédium non erit: quæ illa confúsio, cui reátu suo exigénte continget in convéntu ómnium Angelórum, hóminumque erubéscere: qui pavor eum, quem & tranquíllum mens humána cápere non valet, étiam irátum vidére? Quem diem benè Prophéta intuens ait: Dies illa, dies iræ, dies tribulatiónis, & angústiæ, dies calamitátis, & misériæ, dies tenebrárum, & calíginis, dies nébulæ, & túrbinis, dies tubæ, & clangóris. Sanè, fratres charíssimi, extrémi diem judícii super corda reprróborum qua asperitáte Prophéta vidit amaréscere, quem tot appellatiónibus non valet explicáre!

℞. Hæc est Virgo. 13.

Lectio viii.

QUanta verò tunc erit electórum lætítia, qui de ejus meréntur visióne gaudére, de cujus conspéctu vident & eleménta ómnia contremíscere, cum eo simul ad núptias intráre, qui & in Sponsi núptiis gaudent, & tamen ipsi sunt Sponsa, quia in illo ætérni Regni thálamo visióni nostræ Deus conjúngitur? quæ scílicet, vísio nunquam jam in perpétuum ab amóris sui ampléxibus evellétur. Tunc regni jánua lugéntibus cláuditur, quæ modò quotídie pœniténtibus aperitur. Erit namque & tunc pœniténtia, sed fructuósa jam non erit, quia nequáquam tunc véniam invéniet, qui modò aptum pœniténtiæ tempus perdit.

℞. Média nocte. 14.

Lectio ix.

HInc étiam Paulus dicit: Ecce nunc tempus acceptábile, ecce nunc dies salútis. Hinc Prophéta ait: Quærite Dóminum, dum inveniri potest, invocáte eum, dum propè est. Unde ad eásdem fátuas vírgines dicéntes: Dómine, Dómine, áperi nobis, ille respóndens ait: Amen dico vobis, néscio vos. Ibi jam à Dómino non potest meréri, quod petit, qui hìc nóluit audire, quod jussit; quia qui tempus cóngruæ pœniténtiæ pérdidit, frustra ante regni jánuam cum précibus venit.

Te Deum laudámus.

DIE XXI. APRILIS.

Sexta die infra oct. fit de S. Anselmo, cum commem. octav.

In Vesp. commem. seq. & octavæ.

DIE

DIE XXII. APRILIS.

Septima die infra octav. fit de Ss. Sotero, &c. cum commem. octav.

Vesp. de octava dupl. ut in primis Vesp. festi, & fit commem. Ss. Soter. &c.

DIE XXIII. APRILIS.

Octava S. Engratiæ, duplex.

In primo Noct. Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Sermo S. Bernárdi Abbátis.

Serm. 47. in Cant.

Lectio iv.

FLos est virgínitas, flos martyrium: in horto virgínitas, in campo martyrium: & benè in horto virgínitas, cui familiáris verecúndia est, fúgitans públicum, latibulis gaudens, pátiens disciplínæ. Dénique in horto flos cláuditur, qui in campo expónitur. Et habes: Hortus conclúsus, fons signátus: quòd útique claustrum pudóris signat in Vírgine, & inviolátæ custódiam sanctitátis, si tamen fúerit quæ sit sancta córpore, & spíritu. Benè item in campo martyrium, dum Mártyres ludíbrio ómnium exponúntur, spectáculum facti & Angelis, & homínibus.

℟. Propter veritátem. 12.

Lectio v.

DOminus Jesus flos horti, Virgo Vírgine generátus. Item flos campi Martyr, Mártyrum coróna, martyrii forma. Dénique foras civitátem edúctus est, extra castra passus est, in ligno elevátus est, spectándus homínibus, subsannándus ab ómnibus. Quæ ígitur fuit causa, ut se campi florem malúerit appelláre? Profectò ut Sponsam ad tolerántiam animáret, cui nóverat imminére persecutiónem pati. Id se ergo libéntiùs profitétur, ad quod potíssimùm vult habére sequácem, denúntians ei, quòd per multas tribulatiónes opórtet intráre in Regnum cælórum.

℟. Dilexísti justítiam. 12.

Lectio vi.

VOcat ad campum, ad exercítium próvocat: nec putat quidquam persuasibilius fore illi ad ineúndum certámen, quàm si seípsum certámen, aut exémplum propónat, aut præmium. Ego flos campi: sanè utrúmvis in hoc sermóne intélligi datur, vel quòd sit, vidélicet pugnántis forma, vel quòd glória triumphántis. Utrúmque es mihi, Dómine Jesu, & spéculum patiéndi, & præmiũ patiéntis. Utrúmq̃ fórtiter próvocat, ac veheménter accéndit.

℟.

℟. Afferéntur Regi. 13.

In tertio Nocturno.

Léctio Sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vii. *Cap.* 25.

IN illo témpore: Dixit Jesus Discípulis suis parábolam hanc: Símile erit Regnum Cælórum decem Virgínibus, quæ accipiéntes lámpades suas, exiérunt óbviàm Sponso, & Sponsæ. Et réliqua.

Homilía Sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 12. *de verbis Domini.*

VIdéntur mihi quinque vírgines significáre quinque partítam continéntiam à carnis illécebris. Continéndus est enim ánimi appetítus à voluptáte oculórum, à voluptáte áurium, à voluptáte olfaciéndi, gustándi, & tangéndi: sed quia ista continéntia partim coram Deo fit, ut ille placeátur interióri gáudio consciéntiæ: partim coram homínibus tantùm, ut glória humána capiátur: quinque dicúntur sapiéntes, & quinque stultæ; utræque tamen vírgines, quia útraque continéntia est, quamvis divérso fómite gáudeat.

℟. Hæc est Virgo. 13.

Lectio viii.

OMnes verò accepérunt lámpades suas, & venérunt óbviam Sponso. Intelligéndum est ergo Christi nómine censéri, de quibus ágitur; non enim possunt, qui Christiáni non sunt, Sponso Christo veníre óbviàm. Sed quinque fátuæ, accéptis lampádibus suis, non sumpsérunt óleum secum: multi enim quamvis de Christi bonitáte plúrimùm sperent: gáudium tamen non habent, dum continénter vivunt, nisi in láudibus hóminum: non ergo habent óleum secum: nam ipsam lætítiam óleo significári, árbitror. Prophéta inquit: Unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ.

℟. Média nocte. 14.

Lectio ix.

PRudéntes autem accepérunt óleum secum in vasis cum lampádibus suis: id est, lætítiam óperum bonórum in corde, atque consciéntia posuérunt. Sic & Apóstolus monet: Probet se, inquit, homo, & tunc in semetípso habébit glóriam, & non in áltero. Tardánte ergo Sponso, dormiérunt omnes; quia ex utróque génere continéntium hóminum, sive eórum, qui coram Deo exúltant, sive eórum, qui láudibus hóminum acquiéscunt, moriúntur hoc intervállo témporis; donec sub advéntu Dómini fiat resurréctio mortuórum.

Te

Te Deum laudámus.

Vesper. de S. Georgio, duplex cum commemor. S. Engratiæ.

DOMINICA IV. APRILIS.

Officium Fugæ Beatæ Mariæ Virg. ad Ægypt dupl. maius.

Tempore Paschali omittitur ii. & iii. Antiphona cujuslibet Noct. extra verò tempus Paschale dicuntur omnes, sed celebratur Offic. sine Allelluia.

Ad Vesperas, Antiphona Ecce Angelus, *cum reliq. de Laudibus.*

Psalmus. Dixit Dóminus, *cum reliquis, ut in Officio parvo B. Mariæ.*

Capitulum. *Isai.* 19. 1.

ECce Dóminus ascéndet super nubem levem, & ingrediétur Ægyptum, & commovebúntur simulácra Ægypti à fácie ejus, & cor Ægypti tabéscet in médio ejus.

Hymnus.

REgem treméndæ glóriæ,
De stirpe promíssú Abrahæ
Veníssе Reges indicant,
Natúmque Regi núntiant.

Tyránnus ira flúctuat:
Morti Puéllum déstinat:
Sed Virgo Mater cælitùs
Edócta ferro súbtrahit.

Deférre Natum ad éxteras
Festinat Ægypti plagas,
Nec jam quiéscit, Filium
Quoúsque tutum cónspicit.

At tu Parens fortíssima,
Quæ sancto amóre sáucia
Advérsa quæque déspicis,
Fugæque damna sústines:

Tuis adésto sérvulis
Rebus quibúsque in árduis:
Quos culpa fecit éxules,
Redire fac in Pátriam.

Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre, & almo Spíritu,
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Accépit Joseph Púerum, & Matrem ejus nocte, allelúia.

℟. Et secéssit in Ægyptum, allelúia.

Ad Magnificat, Antiphona. Ecce Angelus Dómini appáruit in somnis Joseph, dicens: Surge, & áccipe Púerum, & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum, & esto ibi, usque dum dicam tibi; futúrum est enim, ut Heródes quærat Púerum ad perdéndum eum, allelúia.

Oratio.

PRotéctor in te sperántium Deus, qui Unigénitum tuum Redemptórem nostrum ex Heródis gládio fuga in Ægyptum erípere voluísti: concéde nobis fámulis tuis, beatíssima semper Vírgine ejus Matre María intercedénte: ut

ut ab ómnibus mentis, & córporis periculis liberáti ad cæléstem pátriam pervenire mereámur. Per eúmdem, &c.

Et fit commem. Dominicæ.

Ad Matutinum, Invitator. Salvatórem Dóminum nostrum Jesum Christum fugiéntem ad Ægyptum, * Venite, adorémus, allelúia.

Hymnus. Regem treméndæ glóriæ, &c. *ut sup. in Vesp.*

In primo Nocturno, Antiph. Accépit Joseph Púerum, & Matrem ejus nocte, & secéssit in Ægyptum, allelúia.

Psalmi consueti de B. Maria, ut in ejus Officio parvo.

Antiphona. Erat ibi usque ad óbitum Heródis.

Antiphona. Fuit Dóminus cum Joseph in Ægypto.

℣. Ex Ægypto, allelúia.

℟. Vocávi Filium meum, allelúia.

De Oséе Prophéta.

Lectio i. Cap. 11.

SIcut mane transit, pertránsiit Rex Israel. Quia puer Israel, & diléxi eum: & ex Ægypto vocávi filium meum. Vocavérunt eos, sic abiérunt à fácie eórum: Báalim immolábant, & simulácris sacrificábant. Et ego quasi nutrítius Ephraim, portábam eos in bráchiis meis: & nesciérunt, quòd curárem eos. In funículis Adam traham eos in vínculis charitátis; & ero eis quasi exáltans jugum super maxillas eórum: & declinávi ad eum, ut vesceréтur. Non revertétur in terra Ægypti, & Assur ipse Rex ejus: quóniam noluérunt convérti. Cœpit gládius in civitátibus ejus, & consúmet eléctos ejus, & cómedet cápita eórum. Et pópulus meus pendébit ad réditum meum, jugum autem imponétur eis simul, quod non auferétur.

℟. Dicit Dóminus: Descénde in Ægyptum, ego descéndam tecum illuc. * Et ego inde addúcam te reverténtem, allelúia. ℣. Surgens Joseph, accépit Púerum, & Matrem ejus nocte, Et ego inde addúcam te.

De Isaía Prophéta.

Lectio ii. Cap. 19.

ECce Dóminus ascéndet super nubem levem, & ingrediétur Ægyptum, & commovebúntur simulácra Ægypti à fácie ejus, & cor Ægypti tabéscet in médio ejus. Et concúrrere fáciam Ægyptios advérsus Ægyptios: & pugnábit vir contra fratrem suum, & vir contra amicum suum, cívitas advérsus civitátem, Regnum advérsus Regnum. Et dirumpétur spíritus Ægypti in viscéribus ejus, & consílium ejus præcipitábo; & inter-

terrogábunt simulácra sua, & divínos suos, & pythónes, & aríolos. Et tradam Ægyptum in manu dominórum crudélium, & Rex fortis dominábitur eórum, ait Dóminus Deus exercítuum.

℟. Rex noster advéniet Christus, * Quem Joánnes prædicávit Agnum esse ventúrum, allelúia. ℣. Super ipsum continébunt Reges os suum, ipsum gentes deprecabúntur. Quem Joánnes.

Lectio iii.

IN die illa erit altáre Dómini in médio terræ Ægypti, & títulus Dómini juxta términum ejus. Et erit in signum, & in testimónium Dómino exercítuum in terra Ægypti. Clamábunt enim ad Dóminum à fácie tribulántis, & mittet eis salvatórem, & propugnatórem, qui líberet eos. Et cognoscétur Dóminus ab Ægypto, & cognóscent Ægyptii Dóminum in die illa, & colent eum in hóstiis, & in munéribus: & vota vovébunt Dómino, & solvent. Et percútiet Dóminus Ægyptum plaga, & sanábit eam, & reverténtur ad Dóminum, & placábitur eis, & sanábit eos. In die illa erit via de Ægypto in Assyrios, & intrábit Assyrius Ægyptum, & Ægyptius in Assyrios, & sérvient Ægyptii Assur. In die illa erit Israel tértius Ægyptio, & Assyrio, benedíctio in médio terræ; cui benedíxit Dóminus exercítuum, dicens: Benedíctus pópulus meus Ægypti.

℟. Ecce ab Austro vénio ego Dóminus Deus vester, * Visitáre vos in pace, allelúia. ℣. Aspiciam vos, & créscere fáciam, multiplicabímini, & firmábo pactum meum vobíscum. Visitáre. Glória Patri. Visitáre.

In secundo Nocturno.

Antiphona. Heródes videns, quóniam illúsus esset à Magis, irátus est valdè, allelúia.

Antiphona. Mittens Heródes occídit omnes púeros, qui erant in Béthlehem, & in ómnibus fínibus ejus.

Antiphona. Abimátu, & infrà occídit multos púeros Heródes propter Dóminum.

℣. Vox in Rama audíta est, allelúia.

℟. Plorátus, & ululátus multus, allelúia.

Sermo Sancti Joánnis Chrysóstomi.

Homil. 8. in Matth.

Lectio iv.

CUr in Ægyptum Puer míttitur? causam in primis prótulit Evangelista, dicens: Ut impleretur illud: Ex Ægypto vocávi Filium meum: simúlque bonæ spei præ-

præmia toti orbi prænuntiabántur: Quia enim Bábylon, & Ægyptus plusquam réliquus orbis impietátis ardébant flamma, ab exórdio declárans, se ambas illas regiónes emendatúrum, & ad melióra deductúrum, simúlque per hæc índicans étiam toti terrárum orbi bona expectánda esse: & Magos misit, & ipse cum Matre sua proféctus est. Ad hæc verò áliud étiam indè docémur, quod non parùm nos ad philosophíam íncitet. Quodnam illud? Quòd ab ipso inítio tentatiónes, & perícula sint expectánda. Vide namque id ipsi ab incunábulis accidísse. Nam illo nato furit tyránnus; hinc fuga, & transmigrátio in exílii locum, & insons Mater in barbarórum regiónem se próripit.

℟. Ægypte, noli flere, quia Dominátor tuus véniet tibi, ante cujus conspéctum movebúntur abyssi, * Liberáre pópulum suum de manu poténtiæ, allelúia. ℣. Ecce véniet Dóminus exercítuum, Deus tuus, cum potestáte magna. Liberáre pópulum suum de manu.

Lectio v.

HOc exémplo fultus fórtiter feras, gnarus hanc cumprimis esse spirituálium virórum sortem, ut úbique tentatiónibus impetántur. Animadvérte ígitur, id non solùm Púeri Matri accídere, sed étiam bárbaris illis: nam & illi clàm discédunt quasi fugitívi, & hæc, quæ nunquam è domo egréssa fúerat, tam longum, & ærumnósum iter suscipere jubétur, ob mirábilem hunc éditum Púerum, & spirituálem partum. Rem íterùm stupéndam consídera: Palæstína insidiátur, Ægyptus verò éxcipit, & servat insídiis impetítum. Neque enim tantùm in fíliis Patriárchæ, sed étiam in Dómino typi, & figúræ contigérunt. Per ea enim, quæ ab ipso gesta sunt, multa prænuntiabántur eórum, quæ pósteà eventúra erant: quod & in ásina, & pullo factum est. Angelus ígitur, qui appáruit, non Maríam, sed Joséphum allóquitur. Et quid dicit: Surge, áccipe Púerum, & Matrem ejus. Hìc non ultrà dicit, Cónjugem tuam, sed Matrem ejus. Quia enim partus cóntigit, suspício solúta est, & viro fides facta est, líberè jam lóquitur Angelus, neque fílium, neque cónjugem ejus dicens, sed Púerum, & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum, fugæque causam addit: Futúrum est enim, inquit, ut Heródes quærat ánimam Púeri.

℟.

℟. Cognoſcétur Dóminus ab Ægypto, * Et cognóſcent Ægyptii Dóminum in die illa, allelúia. ℣. Clamábunt ad Dóminum à fácie tribulántis, & mittet eis Salvatórem, Et cognóſcent.

Lectio vi.

HOc verò Vírginem ipſam non mediócriter claram éfficit, & illúſtrem: nam quod totus pópulus encómii loco habébat, hoc ipſum habére pótuit & ipſa. Quòd enim altum ſapiébant, & ſeſe jactábant ob réditum ex Ægypto, id, quod ſubíndicans Prophéta dicébat: Nonnè alienígenas addúxi de Cappadócia, & Aſſyrios ex fóvea? illud ipſum prærogatívam Vírginis facit. Imò verò & pópulus, & Patriárcha deſcendéntes, & aſcendéntes indè, iſtius aſcénſus, ſeu réditus typum implébant: nam illi deſcendérunt ut mortem ex fame imminéntem effúgerent: hic verò ut vitáret mortem inſidiis parátam. At illi eò veniéntes ex fame tunc liberáti ſunt; ille verò ut eò deſcéndit, regiónem totam per advéntum ſuum ſanctificávit. Consíderes ítaque velim, quómodò inter humília, quæ ad Divinitátem pértinent, reveléntur. Etenim cùm dixit Angelus: Fuge in Ægyptum, non promíſit ſe itineris cómitem futúrum vel deſcendéntibus, vel redeúntibus, ſubíndîcans illos magnum habére cómitem recens natum Púerum, qui ſtatim atque appáruit, ómnia mutávit.

℟. Sancta, & immaculáta Virgínitas, quibus te láudibus éfferam, néſcio: * Quia quem cæli cápere non póterant, tuo grémio in Ægyptum contuliſti, allelúia. ℣. Benedicta tu in muliéribus, & benedictus fructus ventris tui. Quia quem. Glória Patri. Quia quem.

In tertio Nocturno Antiphona. Defúncto autem Heróde, ecce Angelus Dómini appáruit in ſomnis Joſeph in Ægypto, allelúia.

Antiphona. Surge, & áccipe Púerum, & Matrem ejus, & vade in terram Iſrael.

Antiphona. Defúncti ſunt, qui quærébant ánimam Púeri.

℣. Conſúrgens Joſeph accépit Púerum, & Matrem ejus, allelúia.

℟. Et venit in terram Iſrael, allelúia.

Léctio Sancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio vii. *Cap. 2.*

IN illo témpore: Angelus Dómini appáruit in ſomnis Joſeph, dicens: Surge, & áccipe Púerum, & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum,

ptum, & esto ibi, usque dum dicam tibi. Et réliqua.

Homilía Sancti Petri Chrysólogi.

Serm. 151. de Fuga Christi in Ægyptum.

HOdiérna léctio mónuit corda, concússit víscera, stupére fecit audítum. Ecce, inquit, Angelus Dómini appáruit in somnis Joseph, dicens: Surge, & áccipe Púerum, & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum. Cui nascénti virgínitas non resístit, non óbviat rátio, contradícit natúra, potéstas quæ, quæ vis, quod discrimen prævaléret, ut compellerétur ad fugam? Accipe Púerum, & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum. Reveréntiùs díceret: Vade in Ægyptum, ut esset proféctio, non fuga; volúntas, non necéssitas; judícium, non metus; humánum saltem, si non divínum: at nunc mandátur per Angelum, ut videátur cælum timor ante tenuisse, quàm terram.

℟. Nésciens Mater Virgo virum, péperit sine dolóre Salvatórem sæculórum, * Ipsum Regem Angelórum éxulem Virgo lactábat úbere de cælo pleno, allelúia. ℣. Domus pudíci péctoris templum repénte fit Dei: intácta nésciens virum verbo concépit filiũ. Ipsum Regem.

Lectio viii.

ACcipe Púerum, & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum. In Ægyptum fuge, à tuis ad extráneos, ad sacrílegos à sanctis, à templo tuo ad dæmonum fana, ad idolórum pátriam è regióne sanctórum. Sic Judææ non súfficit latitúdo, sic angustátur sæculi diffúsa posséssio, non capit secrétum templi, Sacerdótum turba non súscipit, non abscóndit numerósitas investigabilis cognatórum, ut ad Deitátis látebras profána Ægyptus conducátur: sic res urget, sic non vocat intuéri verecúndiam Vírginis, labórem Matris, sexus pudórem, perículum in Joseph, longinquitátis fatigatiónem, exítium totíus domus.

℟. Et nunc quid tibi est in via Ægypti? * Revértere Virgo Israel ad civitátes tuas, allelúia. ℣. Usquequò dolens averteris? Revértere. Glória Patri. Revértere.

Lectio nona de Homilia Dominicæ nisi transferatur.

Lectio ix.

FRatres, quod fugit Christus, fuit mystérii, non timóris; fuit liberátio, non perículum Creatóris; divínæ virtútis fuit, non fragilitátis humánæ; non fugit propter auctóris mortem, sed

sed fugit propter sæculi vitam. Nam qui mori vénerat, quare fúgeret mortem? Christus totam causam nostræ salútis occíderat, si se párvulum permisisset occídi. Christus vénerat, ut quos præcéptis docúerat, firmáret exémplis; & ipse fáceret, quæ faciénda mandáverat: & visu probáret possibilia, quæ impossibilia videbántur audítu. Vénerat ut mundo notítiam suæ Deitátis infúnderet, & humáni géneris ignorántiam auférret. Omnia hæc útique periissent nobis, si Christus, cùm esset in cunábulis, non fugísset.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES,

& per Horas, Antiph.

Ecce Angelus Dómini appáruit in somnis Joseph, allel. *Psalmi consueti.*

Antiphona. Surge, & áccipe Púerum, & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum, allelúia.

Antiphona. Esto ibi, usque dum dicam tibi, allelúia.

Antiphona. Futúrum est, ut Heródes quærat Púerum ad perdéndum eum, allelúia.

Antiphona. Consúrgens Joseph accépit Púerum, & Matrem ejus nocte, & secéssit in Ægyptum, allelúia.

Capitulum. Isaiæ 19.1.

Ecce Dóminus ascéndet super nubem levem, & ingrediétur Ægyptum, & commovebúntur simulácra Ægypti à fácie ejus, & cor Ægypti tabéscet in medio ejus.

Hymnus.

Veri Tonántis Unicum
Enses caventem pérfidos,
Culto relícto Núminum,
Ægypte præsta sóspitem.

Heródis hunc immánitas
Abire cogit éxulem,
Sed dura nos Christi fuga,
Iter salútis édocet.

Virgo Parens dulcíssima,
Quæ mille per perícula,
Dulcem feréndo párvulum,
Invícta cursum cónficis.

Fac nos, solútis vínculis,
Quæ tendit astus dæmonis,
Per plana, & per áspera
Nostrum sequámur Príncipem.

Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre, & almo Spíritu
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Gaude, & lætáre Ægypte, allelúia.

℟. Quia in médio tui Sanctus Israel, allelúia.

Ad Benedictus, Antiphona. Defúncto Heróde, ecce Angelus Dómini appáruit in somnis Joseph in Ægypto, dicens: Surge, & áccipe Púerum, & Matrem ejus, & vade in terram Israel: defúncti sunt enim, qui quærébant ánimam Púeri, allelúia. *Ora-*

Oratio.

PRotéctor in te sperántium Deus, qui Unigénitum tuum Redemptórem nostrum ex Heródis gládio fuga in Ægyptum erípere voluísti: concéde nobis fámulis tuis, beatíssima semper Vírgine ejus Matre María intercedénte; ut ab ómnibus mentis, & córporis perículis liberáti ad cæléstem pátriam pervenire mereámur. Per eumdem Dóminum nostrum Jesum Christum, &c.

Et fit commemor. Dominicæ.

Ad Tertiam, Antiph. Surge.

Capitul. Ecce Dóminus, *ut suprà.*

℟. *brev.* Dóminus tanquam Sponsus, * Allelúia, allelúia. Dóminus. ℣. Procédens de thálamo suo. Allelúia, allelúia. Glória Patri. Dóminus.

℣. Egrediétur Dóminus de loco sancto suo, allelúia.

℟. Véniet ut salvat pópulum suum, allelúia.

Ad Sextam, Antiph. Esto ibi.

Capitulum. Ezech. 30. 13.

HÆc dicit Dóminus Deus: Dispérgam simulácra, & cessáre fáciam idóla de Memphis: & dux de terra Ægypti non erit ámpliùs: & dabo terrórem in terra Ægypti.

℟. *brev.* Egrediétur Dóminus de loco sancto suo. * Allelúia, allelúia. Egrediétur. ℣. Véniet, ut salvet pópulum suum. Allelúia, allelúia. Glória Patri. Egrediétur.

℣. Vidérunt omnes fines terræ, allelúia.

℟. Salutáre Dei nostri, allelúia.

Ad Nonam, Antiphona. Consúrgens Joseph.

Capitulum. Isaiæ 16. 3.

INi consílium, coge concílium: pone quasi noctem umbram tuam in merídie: abscónde fugiéntes, & vagos ne prodas. Habitábunt apud te prófugi mei: esto latíbulum eórum á fácie vastatóris.

℟. *brev.* Vidérunt omnes fines terræ, * Allelúia, allelúia. Vidérunt. ℣. Salutáre Dei nostri. Allelúia, allelúia. Glória Patri. Vidérunt.

℣. Verbum caro factum est, allelúia.

℟. Et habitávit in nobis, allelúia.

In secundis Vesperis, omnia ut in primis.

Ad Magnificat, Antiphona. Audiens Joseph, quòd Archeláus regnáret in Judæa pro Heróde patre suo, timuit illò ire; & admónitus in somnis, secéssit in partes Galilææ; & véniens habitávit in civitáte, quæ vocátur Názareth, ut adimpleré-

rétur quod dictum est per Prophétam: Quóniam Nazaræus vocábitur, allelúia.

Oratio, ut suprà.

FESTA MAII.

DOMINICA PRIMA MAII.

In Festo Maternitatis Beatæ Mariæ Virginis.

Ad Vesperas, Antiphona Beáta es, *cum reliquis de Laudibus, Psalmi consuet. de Sancta Maria, ut in ejus Officio parvo.*

Capitulum. *Eccli. 24.*

QUi creávit me, requiévit in tabernáculo meo, & dixit mihi: In Jacob inhábita, & in eléctis meis mitte radíces.

Hymnus. Ave maris stella.

℣. Benedícta tu in muliéribus, allelúia.

℟. Et benedíctus fructus ventris tui, allelúia.

Ad Magnificat, Antiphona. Cum jucunditáte Maternitátem Beátæ Maríæ semper Vírginis celebrémus, allelúia.

Oratio.

INtercédat pro nobis, Dómine Jesu Christe, tua Sanctíssima Génitrix María, & grátiam tuam, à qua peccándo excídimus, nobis sua intercessióne concíliet: ut ejus Maternitátem venerántes in terris, ejus super omnes choros Angelórum exaltatióne pérfrui mereámur in cælis. Qui vivis, & regnas cum Deo Patre, &c.

Ad Matutinum, Invitator.

Maternitátem Beátæ Maríæ Vírginis celebrémus: Christum ejus Fílium adorémus Dóminum, allelúia.

Psalmus. Veníte.

Hymnus.

CÆlo Redémptor prætulit,
Felicis alvum Vírginis:
Ubi cadúca membra,
Mortále corpus índuit.

Hæc Virgo nobis édidit
Nostræ salútis Auspicem,
Qui nos redémit sánguine,
Pœnas, crucémque pértulit.

Spes læta nostro è péctore
Pellat timóres ánxios:
Hæc quippe nostras lácrimas,
Precésque defert Fílio.

Voces Parens éxcipit,
Votísque Natus ánnuit,
Hanc quisq̃ semper díligat,
Rebúsque in arctis ínvocet.

Sit Trinitáti glória,
Quæ Matris intáctũ sinum.
Ditávit almo gérmine:
Laus sit per omne sæculum.
Amen.

Antiphonæ, & Psalmi Nocturnorum, ut in ejus Officio parvo.

In primo Nocturno.

℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua, allelúia.

℟. Inténde, prósperè procéde, & regna, allelúia.

De Libro Ecclesiástici.

Lectio i. *Cap.* 24.

EGo ex ore Altíssimi prodívi, primogénita ante omnem creatúram. Ego feci in cælis, ut orirétur lumen indeficiens, & sicut nébula texi omnem terram. Ego in altíssimis habitávi, & thronus meus in colúmna nubis. Gyrum cæli circuívi sola, & profúndum abyssi penetrávi, in flúctibus maris ambulávi, & in omni terra steti: & in omni pópulo, & in omni gente primátum hábui, & ómnium excelléntium, & humílium corda virtúte calcávi: & in his ómnibus réquiem quæsívi, & in hæreditáte Dómini morábor.

℟. Felix es, sacra Virgo María, & omni laude digníssima: * Ex qua ortus est Sol justítiæ, Christus Deus noster, per quem salváti, & redémpti sumus, allelúia. ℣. Maternitátem Beátæ Maríæ Vírginis cum gáudio celebrémus. Ex qua ortus est Sol justítiæ.

Lectio ii.

TUnc præcépit, & dixit mihi Creátor ómnium: & qui creávit me, requiévit in tabernáculo meo, & dixit mihi: In Jacob inhábita, & in Israel hæreditáre, & in eléctis meis mitte radíces. Ab inítio, & ante sæcula creáta sum, & usque ad futúrum sæculum non désinam, & in habitatióne sancta coram ipso ministrávi. Et sic in Sion firmáta sum, & in civitáte sanctificáta simíliter requiévi, & in Jerúsalem potéstas mea. Et radicávi in pópulo honorificáto, & in parte Dei mei hæréditas illíus, & in plenitúdine Sanctórum deténtio mea.

℟. Sine tactu pudóris invénta es, Mater Salvatóris: * Qui cælum, terrámque regit, in tua se clausit víscera, factus homo, allelúia. ℣. Benedícta tu in muliéribus, & benedíctus fructus ventris tui. Qui cælum, terrámque.

Lectio iii.

QUasi cedrus exaltáta sum in Líbano, & quasi cypréssus in monte Sion. Quasi palma exaltáta sum in Cades, & quasi plantátio rosæ in Jéricho. Quasi olíva speciósa in campis, & quasi plátanus exaltáta sum juxta aquam in platéis. Sicut cinnamómum, & bálsamum aromatízans odórem dedi: quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris, & quasi storax, & gálbanus, & úngu-

gu-

gula, & gutta, & quasi Libanus non incísus vaporávi habitatiónem meam, & quasi bálsamum non mistum odor meus. Ego quasi terebínthus exténdi ramos meos, & rami mei honóris, & grátiæ. Ego quasi vitis fructificávi suavitátem odóris.

℟. Multæ filiæ congregavérunt divítias, tu supergréssa es univérsas: * Speciósa facta es, & suávis in delíciis tuis, sancta Dei Génitrix, allelúia. ℣. Séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam sanctam Maternitátem. Speciósa. Glória Patri. Speciósa.

In secundo Nocturno.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis, allelúia.

℟. Proptéreà benedíxit te Deus in ætérnum, allelúia.

Ex Sermóne Sancti Leónis Papæ.

Serm. 1. de Nativ. Domini.

Lectio iv.

VIrgo régia Davídicæ stirpis elígitur, quæ sacro gravidánda fœtu, divínam, humanámque prolem priùs conciperet mente, quàm córpore. Et ne supérni ignára consílii ad inusitátos pavéret affátus, quod in ea operándum erat à Spíritu Sancto, collóquio dídicit Angélico, nec damnum crédidit pudóris Dei Génitrix mox futúra. Cur enim de conceptiónis novitáte despéret, cui efficiéntia de Altíssimi virtúte promíttitur? Confirmátur credéntis fides étiam præcúntis attestatióne miráculi. Donátur Elísabeth inopináta fœcúnditas, ut qui concéptum déderat stérili, datúrus non dubitarétur & Vírgini. Verbum ígitur Dei Filius, qui in princípio erat apud Deum, per quem facta sunt ómnia, & sine quo factum est nihil, propter liberándum hóminem ab ætérna morte factus est homo.

℟. Gloriósæ Vírginis Maríæ Maternitátem digníssimam recolámus, * Cujus Dóminus humilitátem respéxit, quæ Angelo nuntiánte concépit Salvatórem mundi, allelúia. ℣. Christo canámus glóriam in hac sacra solemnitáte mirábilis Genitrícis Dei. Cujus Dóminus humilitátem.

Serm. 2. de Nativ. Domini.

Lectio v.

INgréditur hæc infirma. Jesus Christus Dóminus noster de Cæli sede descéndens, & à patérna glória non recédens, novo órdine, nova nativitáte generátus. Novo órdine, quia invisíbilis in suis, visíbilis factus est in nostris: incomprehensíbilis vóluit comprehéndi, ante témpora manens esse

esse cœpit in témpore. Nova autem nativitáte génitus est, concéptus è Vírgine, natus ex Vírgine, sine patérnæ carnis concupiscéntia, sine matérnæ integritátis injúria, quia futúrum hóminum Salvatórem talis ortus decébat, qui & in se habéret humánæ substántiæ natúram, & humánæ carnis inquinaménta nesciret. Orígo dissímilis, sed natúra consímilis; humáno uso & consuetúdine, quod crédimus, caret; sed Divína potestáte subníxum est, quòd Virgo concéperit, Virgo pepérerit, Virgo permánserit.

℞. Benedícta Fília tu à Dómino, quia per te fructum vitæ communicavimus: * Sola sine exémplo placuísti Dómino nostro Jesu Christo, allelúia. ℣. Nostras deprecatiónes ne despícias in necessitátibus nostris, & à perículis cunctis libera nos Sancta Dei Génitrix. Sola sine exémplo placuísti.

Lectio vi.

OPórtuit, ut primam Genitrícis integritátem nascéntis incorrúptio custodíret, & complácitum sibi claustrum pudóris, & sanctitátis hospítium, Divini Spíritus virtus infúsa servaret, quæ statúerat dejécta erigere, confrácta solidáre, & superándis carnis illécebris multiplicátam pudicítiæ donáre virtútem: ut virgínitas, quæ in aliis non póterat salva esse generándo, fieret áliis imitábilis renascéndo. Hoc ipsum autem, quod Christus nasci elegit ex Vírgine, nonnè appáret altíssimæ fuisse ratiónis: ut, scilicet, humáno géneri natam salútem diabolus ignoráret, & spiritáli laténte concéptu, quem non álium vidéret, quàm álios, non áliter créderet natum esse, quam cæteros. Quod ut fieret, éditus est Christus ex Vírgine, quam Spíritus Sanctus fœcundávit: & cùm in ómnibus mátribus non fiat sine peccáti sorde concéptio, hæc inde purgatiónem traxit, unde concépit.

℞. Benedícta inter mulíeres, & benedíctus fructus ventris tui: * Unde hoc mihi, ut véniat Mater Dómini mei ad me? Allelúia. ℣. Respéxit humilitátem ancillæ suæ, & fecit mihi magna, qui potens est. Unde hoc mihi. Glória Patri. Unde hoc mihi.

In tertio Nocturno.

℣. Fecit mihi magna, qui potens est, allelúia.

℞. Misericórdia ejus à progénie in progénies timéntibus eum, allelúia.

Léctio Sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Lectio vii. *Cap. 2.*

IN illo témpore : Cùm redírent, remansit Puer Jesus in Jerúsalem, & non cognovérunt Paréntes ejus. Et réliqua.

De Homilía Sancti Bernárdi Abbátis.

Homil. 1. de Laud. Virg. Matris.

DEum, & Dóminum Angelórum María suum filium appéllat, dicens : Fili, quid fecisti nobis sic? Quis hoc áudeat Angelórum? Súfficit eis, & pro magno habent, quòd cùm sint spíritus ex conditióne, ex grátia facti sint, & vocáti Angeli, testánte David: Qui facit Angelos suos spíritus. María verò Matrem se agnóscens, majestátem illam, cui illi cum reveréntia sérviunt, cum fidúcia suum núncupat fílium : nec dedignátur nuncupári Deus, quod esse dignátus est. Nam pauló post subdit Evangelísta : Et erat súbditus illis. Quis? quibus? Deus homínibus : Deus, inquam, cui Angeli súbditi sunt, cui Principátus, & potestátes obédiunt, súbditus erat Maríæ.

℞. Beáta es Virgo María Dei Génitrix, quæ credidísti Dómino, perfécta sunt in te, quæ dicta sunt tibi :* Proptéreà benedíxit te Deus in ætérnum, allelúia. ℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis: intercéde pro nobis ad Dóminum Deum nostrum. Proptérea benedíxit te.

Benedictio. Cujus festum cólimus, ipsa Virgo Vírginum intercédat pro nobis.

Lectio viii.

MIráre utrúmlibet, & élige, quod ámplius miréris, sive Filii benigníssimam dignatiónem, sive Matris excellentíssimam dignitátem. Utrínque stupor, utrínque miráculum. Et quòd Deus fœminæ obtémperet, humílitas absque exémplo ; & quòd Deo fœmina principétur, sublímitas sine sócio. In láudibus vírginum singuláriter cánitur, quòd sequúntur Agnum quocúmque íerit. Quibus ergo láudibus júdicas dignam, quæ étiam præit? Disce homo obedíre, disce terra subdi, disce pulvis obtemperáre. De Auctóre tuo loquens Evangelísta : Et erat, inquit, súbditus illis. Erubésce supérbe cinis : Deus se humíliat, & ut te exáltas. Deus se homínibus subdit, & tu domirári géstiens homínibus, tuo te præpónis Auctóri.

℞. Congratulámini mihi ómnes, qui dilígitis Dóminum, quia cùm essem párvu-

 la,

la, plácui Altíssimo :* Et de meis viscéribus génui Deū, & hóminem, allelúia. ℣. Beátam me dicent omnes generatiónes, quia ancíllam húmilem respéxit Deus. Et de meis. Glória Patri. Et de meis.

Lectio nona de Homilia Dominicæ.

Lectio ix.

FElix María, cui nec humílitas défuit, nec virgínitas. Et quidem singuláris virgínitas, quam non temerávit, sed honorávit fœcúnditas. Et nihilóminùs speciális humílitas, quam non ábstulit, sed éxtulit fœcúnda virgínitas, & incomparábilis prorsus fœcúnditas, quam virgínitas simul comitátur & humílitas. Quid horum non mirábile? Quid non incomparábile? Quid non singuláre: Mirum verò si non hæsitas in horum ponderatióne, quid tua júdices dígnius admiratióne: utrùm, vidélicet, pótiùs stupénda sit fœcúnditas in Vírgine, an in Matre intégritas? Sublímitas in prole, an cum tanta sublimitáte humílitas? Nisi quòd indubitánter horum singulis præferénda sunt simul cuncta, & incomparabíliter excelléntiùs est, atque felícius ómnia percepisse, quàm áliqua. Et quid mirum, si Deus, qui mirábilis cérnitur, & légitur in sanctis suis, mirábilem se exhíbuit in Matre sua? Venerámini ergo, cónjuges, in carne corruptíbili carnis integritátem: vos sacræ vírgines, in Vírgine fœcunditátem. Imitámini omnes hómines Dei Matris humilitátem.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES,

& per Horas, Antiph.

BEáta es Virgo María, quæ ómnium portásti Creatórem, allelúia.

Psalmi consueti.

Antiphona. Genuísti, qui te fecit, & in ætérnum pérmanes virgo, allelúia.

Antiphona. Beátam me dicent omnes generatiónes, quia ancíllam húmilem respéxit Dóminus, allelúia.

Antiphona. Fecit mihi magna, qui potens est, & sanctum nomen ejus, allelúia.

Antiphona. Vidérunt eam fíliæ Sion, & beátam dixérunt, & regínæ laudavérunt eam, allelúia.

Capitulum. *Eccli.* 24.

QUi creávit me, requiévit in tabernáculo meo, & dixit mihi: In Jacob inhábita, & in eléctis meis mitte radíces.

Hymnus.

TE, Mater alma Núminis,
Orámus omnes súpplices,

À fraude nos ut dæmonis
Tua ſub umbra prótegat.
Ob pérditū noſtrū genus
Primi paréntis crímine,
Ad inclytum Matris decus
Te Rex ſuprémus éxtulit.
Cleménter ergo próſpice
Lapſis Adámi póſteris,
À te rogátus Filius
Depónat iram víndicem.
Jeſu, tibi ſit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre, & almo Spíritu
In ſempitérna ſæcula.
Amen.

℣. Germinávit radix Jeſſe: orta eſt ſtella ex Jacob, allelúia.

℟. Virgo péperit Salvatórem: te laudámus, Deus noſter, allelúia.

Ad Benedictus, Antiphona. Sancta María, ſuccúrre míſeris, juva puſillánimes, réfove flébiles, ora pro pópulo, intérveni pro Clero, intercéde pro devóto fœmíneo ſexu: ſéntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam admirábilem Maternitátem, allelúia.

Oratio.

INtercédat pro nobis, Dómine Jeſu Chriſte, tua Sanctiſſima Génitrix María, & grátiam tuam, à qua peccándo excídimus, nobis ſua interceſſióne concíliet: ut ejus Maternitátem venerántes in terris, ejus ſuper omnes choros Angelórum exaltatióne pérfrui mereámur in Cælis. Qui vivis, & regnas cum Deo.

Et fit commem. Dominicæ occurrentis.

Ad Primam, Antiphona. Beáta es.

Capitulum 1. *Timoth.* 1. d

REgi ſæculórum immortáli, & inviſíbili, ſoli Deo honor, & glória in ſæcula ſæculórum. Amen.

℟. Deo grátias.

℟. *br.* Chriſte Fili Dei vivi, miſerére nobis. * Allelúia, allelúia. *Et repetitur*: Chriſte Fili Dei. ℣. Qui natus es de María Vírgine. Allelúia, allelúia. Glória Patri. Chriſte Fili Dei vivi, miſerére nobis. Allelúia, allelúia.

℣. Exúrge Chriſte, ádjuva nos, allelúia.

℟. Et líbera nos propter nomen tuum, allelúia.

Ad Tertiam, Antiphona. Genuíſti.

Capitulum. *Eccli.* 24. b

AB initio, & ante ſæcula creáta ſum, & uſque ad futúrum ſæculum non déſinam, & in habitatióne ſancta coram ipſo miniſtrávi.

℟. *br.* Spécie tua, & pulchritúdine tua. * Allelúia, allelúia. Spécie tua. ℣. Inténde, próſpere procéde, & regna, allelúia, allelúia. Glória Patri. Spécie tua.

℣. Adjuvábit eam Deus vultu ſuo, allelúia.

℟.

℟. Deus in médio ejus, non commovébitur, allelúia.

Ad Sextam, Antiphona. Beátam me dicent.

Capitulum. Eccli. 24. b

ET sic in Sion firmáta sum, & in Civitáte sanctificáta simíliter requiévi, & in Jerúsalem potéstas mea. Et radicávi in pópulo honorificáto, & in parte Dei mei hæréditas illius, & in plenitúdine Sanctórum deténtio mea.

℟. *br.* Adjuvábit eam Deus vultu suo. * Allelúia, allelúia. Adjuvábit. ℣. Deus in médio ejus, non commovébitur. Allelúia, allelúia Glória Patri. Adjuvábit.

℣. Elégit eam Deus, & præelégit eam, allelúia.

℟. In tabernáculo suo habitáre facit eam, allelúia.

Ad Nonam, Antiphona. Vidérunt eam.

Capitulum. Eccli 24. b

IN platéis sicut cinnamómum, & bálsamum aromatízans odórem dedi: quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris.

℟. *br.* Elégit eam Deus, & præelégit eam,* Allelúia, allelúia. Elégit. ℣. In tabernáculo suo habitáre facit eam. Allelúia, allelúia. Glória Patri. Elégit.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis, allelúia.

℟. Proptéreà benedíxit te Deus in ætérnum, allelúia.

In ii. Vesperis, omnia ut in primis.

Ad Magnificat, Antiphona. Matérnitas tua, Dei Génitrix Virgo, gáudium annuntiávi univerſo mundo; ex te enim ortus est Sol justítiæ Christus Deus noster, allel.

Et fit commem. Dominicæ.

DIE XI. MAII.

In Festo S. Joannis Damasceni Confessoris, duplex.

Omnia de Communi Confess. non Pontif. præter ea, quæ sequuntur.

Oratio.

DEus, qui restitúta Beáto Joánni Confessóri tuo mirabiliter déxtera Imáginum sacrárum cultum in Ecclésia conservásti: ejus méritis, & précibus indúlge: ut quorum Imágines in terris venerámur, eórum aspéctu dignémur in cælis. Per Dóminum.

In primo Noct. Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

JOánnes Damásci (unde illi cognómen Damascéni factum) nóbili génere natus, patrem hábuit Christi fide, ac piis móribus illústrem, neque Christiánis modò, in quos è captivitáte rediméndos, alendósque largas opes conferébat; verùm

rùm ipsis étiam Sarracénis jam tum Damáscum obtinéntibus (apud quos públicis negótiis tota ditióne administrandis præerat) charissimum. Eúndem, quem patrem, per ánimam sortitus bonam áliquot jam annis habébat & magístrum; cùm à Sarracénis pirátícam a géntibus Damáscum captívus inter álios Cosmas Mónachus defértur, vir humánis, divinísque lítteris doctíssimus. Huic è barbarórum vínculis erépto bonis ártibus, ac móribus instituéndus adoléscens tráditur: qui, ut vívido erat ingénio, doctrinæque omnis capáci æquè, ac tenáci; brevi sic ómnia perdidicit, ut magíster, nihil ultrà jam habens, quod docéret, missióne ceu labóris præmio impetráta, solútus, ac liber ad Lauram Sancti Sabbæ convolárit, illuc & ipsum deinde discípulum expéctans.

℟. Honestum fecit illum Dóminus, & custodivit eum ab inimícis, & à seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam, allelúia. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, & osténdit illi Regnum Dei. Et dedit illi.

Lectio v.

INterim pater Joánnis móritur, relictúmque filium patre ipso meliórem videns Sarracenórum Princeps, invitum licèt, ejus præfectúra, mox & primi Consiliárii dignitáte ornat. Quo témpore, cùm Leo Isáuricus in sacras Imágines, earúmque cultóres impiè sæviret, ejus furórem nequáquàm tímuit Joánnes; sed cálamo, velut ense, pugnans, hæresi latè grassánti se fórtiter oppósuit. Quod ubi Leo deprehéndit, dolo, cùm vi non posset, agéndum ratus, eum apud Sarracénos insímulat, quasi de prodénda Damásco secum per litteras, útique confictas agitántem; quo factum, ut déxtera illi manus bárbari Príncipis jussu amputarétur. Affuit tamen prompta innocéntiæ vindex. Deípara Virgo, ante cujus Imáginem dum suam, ejúsque causam non tam vócibus, quam lácrymis ágeret Joánnes, obdormiscens, ab ea sibi visus est de manu, ad piè pro sacris Imagínibus decertándum, réddita monéri. Quam cùm evígilans, non álio, quam stillántis cruóris glútine, suo íterùm conjúnctam bráchio conspexísset, servis manumíssis, & quibus affluébat, ópibus in páuperes largè distribútis, pauper ipse, ac solus Hierosólymam ad loca Christi vestigiis consecráta piè

piè venerånda peregrinåtus, inde in Lauram secéssit cum Cosma magistro suo vitam illic monásticam actúrus.

℟. Amávit eum Dóminus, & ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas Paradísi coronávit eum, allelúia. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fidei, & ornávit eum. Et ad portas.

Lectio vi.

IN eo Monastério, cùm tanti discípuli magister esse doctíssimus quisquis senum recusáret, unus quidam áliis simplícior, sed & austérior, curam, quam illi defúgerant, suscépit. Sub cujus disciplína Joánnes, cæca præsértim obediéntia, magnanimáque sui abjectióne, eò Christiánæ virtútis, ac sapiéntiæ progréssus est, ut ab eo, qui præciperet, numquam causas quæsíerit præcépti quantúmvis árdui, aut insóliti; abjectióra domi múnia sibi semper concupíerit: foris autem aliquándo vili centóne indútus sportas, quas texúerat, húmeris impósitas, Damáscum, ubi ántea vicem Príncipis egísset, attúlerit, duplo plus sólito (sic enim sénior jússerat) vendéndas: vulgi forénsis risus, ac ludíbria largè sibi scilicet emptúrus. Donec, magistro, à Deípara per visum admónito, jussus est sápiens sciéntiam suam non ámpliùs abscóndere, sed tamquam imbres elóquia míttere sapiéntiæ; quod ille scriptis deínceps libris luculénter fecit, magno sanè Fidei Orthodóxæ bono, hæresis autem damno, ac dolóre. Quo velut acúleo compúncti Príncipes Iconómachi, váriè relegátum, aut carcéribus inclúsum afflixére. Sed Coprónymus étiam clávium Ecclésiæ potestátem stólidè sibi árrogans, quotánnis in abséntem anáthema, brutum veluti fulmen, jácere non dubitávit. Ille autem à Patriárcha Hierosolymitáno Présbyter ritè ordinátus, bonum ubíque certámen certans, bonámque semper conféssus confessiónem, in bona étiam senectúte mórtuus est: vir planè divínus, Deóque plenus à Sancto Stéphano junióre Mónacho, & Mártyre méritò appellátus.

℟. Iste homo perfécit ómnia, quæ locútus est ei Deus, & dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus Géntibus, allelúia. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, & pervénit ad cæléstia regna. Quia te vidi justum. Glória Patri. Quia te.

In

In tertio Nocturno.

Léctio Sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Lectio vii. *Cap. 6.*

IN illo témpore: Factum est & in álio sábbatho, ut intráret Jesus in Synagógam, ut docéret: & erat ibi homo, & manus ejus déxtera erat árida. Et réliqua.

Homilía Sancti Petri Chrysólogi Epíscopi.

Serm. 32.

IN hoc hómine ómnium hóminum imágo figurátur, in hoc géritur cura cunctórum, in hoc universórum sánitas diù expectáta reparátur. Arúerat enim manus hóminis magis stupóre Fidei, quàm siccitáte nervórú, & plus culpa consciéntiæ, quàm debilitáte carnáli. Antíqua nimis ista erat, & quæ in ipso mundi princípio contígerat ægritúdo: nec arte hóminis, aut benefício póterat hæc curári, quæ Dei súerat indignatióni contrácta: tetígerat vetíta, inconcéssa præsúmpserat, cùm se ad árborem sciéndi bonum, malúmque porréxerat: auctóre indigébat, non qui malágma impóneret, sed qui posset illátam relaxáre senténtiam, & ignoscéndo resólvere, quod religáverat indignándo.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, & de omni corde suo laudávit Dóminum: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum, allelúia. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, abstinens se ab omni ópera malo, & pérmanens in innocéntia sua. Ipse intercédat pro peccátis.

Lectio viii.

IN hoc hómine nostræ tantùm géritur umbra sanitátis: perfécta autem salus nobis reservátur in Christo: quia tunc aríditas nostra manus miseránda dissólvitur, cùm cruóre perfúnditur Domínicæ Passiónis, cùm in illo vitáli ligno Crucis exténditur, cùm carpit fructuósam de dolóre virtútem, cùm totam árborem salútis ampléctitur, cùm clavis Dómini corpus affígitur, quò nunquam ad árborem concupiscéntiæ, & áridæ rédeat voluptátis. Et ait hómini habénti manum áridam: Surge in médium, proféssor debilitátis própriæ, supérnæ pietátis exáctor, testis Divínæ virtútis, Judáicæ incredulitátis assértor, surge in médium: ut quos non compúngit virtus tanta signórum, quos non ópera tantæ salútis inclínant, vel debilitátis tantæ miserátio constringat, & mitiget.

℟. Sint lumbi vestri præcin-

cínĉti, & lucérnæ ardéntes in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus expectántibus dóminum suum, quando revertátur à núptiis, allelúia. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et vos. Glória Patri. Et vos.

Lectio ix.

DIxit hómini: Exténde manum tuam. Et exténdit, & restitúta est manus illíus. Exténde manum tuam: jussióne sólvitur, quæ fúerat jussióne convíncta. Exténde manum tuam: Agnóvit pœna Júdicem, opus Deum, indulgéntia pródidit Conditórem. Oráte, fratres, ut sola synagóga tali debilitáre fuscétur, nec sit in Ecclésia, cujus manum arefáciat cupíditas, cóntrahat avarítia, rapína debilitet, tenacitas ægrótam constríngat: sed, si acciderit id ipsum, áudiat Dóminum, & citò eam in ópere pietátis exténdat, relaxet, & in misericórdia, & in eleemósynis pórrigat. Sanári nescit, qui nescit páuperi fœnerári.

Te Deum laudámus.

DIE XII. MAII.

In Festo Sanctæ Joannæ Virginis, semiduplex.

Omnia de Communi Virg. præter sequentia.

Oratio.

DEus, qui inter regáles delícias, & mundi illécebras, Beátam Joánnam Vírginem tuam virtúte constántiæ roborásti: quæsumus: ut ejus intercessióne Fidéles tui terréna despíciant, & ad cæléstia semper aspírent. Per Dóminum.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

JOánna Alphónsi quinti Lusitániæ Regis filia, tanta Divíni amóris flamma prævénta fuit, ut ab ipsa pueritia rerum caducárum pertæsa, solo cæléstis Pátriæ desidério flagráret. Erga Domínicæ Passiónis mystérium mirificè afféĉta, vix áliquid de illo loqui, vel audíre sine lácrymis póterat; licètque in ejúsdem meditatióne fere semper defixa viderétur, maióris tamen hebdómadæ dies omnésque sextas férias sola pane, & aqua conténta, in oratiónibus, & vigiliis devotíssimè transigébat: mira fuit in páuperes pietáte, & liberalitáte, bis in die per fidéles adminístros de illis diligentíssimè inquírens. Adolescéntiam ingréssa, ut in Dei láudibus, & charitátis officiis magis se rédderet expeditam, carnem suam contínua fermè abstinéntia, & cruéntis flagellatiónibus affligere cœpit. Nonnisi duro lé-

léctulo ad brevem somnum utebátur, ac pretiósis véstibus ásperum tegens cilíciũ, láneam étiam, & rudem intérulam ne quidem in serventóribus calóribus depónere consuévit. Hanc insólitam ádeò in Régia Vírgine vivéndi ratiónem non modò Joánna prudénti dissimulatióne celáre conabátur, ut secúriùs retinéret; sed étiam Deus ipse, aucto in dies insígnis formæ decóre, comprobáre visus est.

℟. Propter veritátem, & mansuetúdinẽ, & justítiam: * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua, allelúia. ℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua, inténde, prósperè procéde, & regna. Et dedúcet.

Lectio v.

A Præcípuis Európæ Princípibus expetíta, terrénas núptias constantíssimè réspuit, frustrà illam urgéntibus Alphónso patre, & Joánne fratre, quorum moléstam nimis importunitátem, accépta divínitùs, ut fertur, futúri Sponsi morte, feliciter superávit. Carnis ígitur, & sánguinis victrix in Aveirénse Monastéribus Ordinis Sancti Domínici se recépit, ubi relíctis ómnibus ad pedes Priorissæ provolúta, religiósum hábitum supplíciter pétiit. Voti compos effécta, quibus antè virtútibus inter aulæ blandiéntis illécebras ádeò florúerat, multò magis in Cœnóbio eminére visa fuit, eo progréssu, ut in ipso tyrocínio provectióribus esset exémplo. Regulá is Instítúti observantíssima, ne à vilióribus quidem Sorórum exercítiis abstinébat, tam perfécta obediéntia, & humilitáte, ut Regii sánguinis prorsus oblita viderétur. Licèt autem superiórum consílio solémnem Professiónem invita distúlerit, advérsa plerúmque valetúdine, ac obniténtibus unà cum fratre Regni totíus ordínibus, ab incæpto nihilóminùs dimovéri numquam pótuit.

℟. Dilexísti justítiam, & odísti iniquitátem: * Proptéreà unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ, allelúia. ℣. Propter veritátem, & mansuetúdinem, & justítiam. Proptéreà.

Lectio vi.

Quod oratióni superérat tempus, áliis pietátis impendébat offíciis: & animárum zelo flagrans, non modò Soróres omnes verbo, & exémplo ad perfectiónem accéndere satagébat, sed éxteris quoque prodésse non déstitit, assíduas ad Deum preces, ad voluntários ófferens córporis cruciátus pro peccatórum

rum conversióne. Africanórum captivórum plúrimos, adhíbitis verbi Dei Minístris, Ecclésiæ aggregávit, quorum ipsa non paucos ímbuit Christiánæ Fidei præcéptis. Vitæ dénique asperitáte, corporisque afflictatiónibus conf́écta, diutúrnum, ac molestíssimum morbum in contemplatióne Domínicæ Passiónis invícta patiéntia tólerans, suscéptis devotíssimè Sacraméntis innocéntem ánimam Deo réddidit quarto Idus Maii anno salútis millésimo quadringentésimo nonagésimo, ætátis verò suæ trigésimo nono. Ejus sanctitátis opínio longè, latèque diffúsa, miraculórum étiam fama statim post óbitum claréscere cœpit. Tandem Innocéntius Duodécimus, ut in toto Portugálliæ Regno, ac univérso Prædicatórum Ordine possit de Beáta Joánna, anniversária ejus dormitiónis die, Officium recitári, ac Missa celebrári de Cómuni Virginum, indúlsit.

℟. Afferéntur Regi vírgines post eam, próximæ ejus, * Afferéntur tibi in lætítia & exultatióne, allelúia. ℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua, inténde, prósperè procéde, & regna. Afferéntur tibi. Glória Pari. Afferéntur.

In iii. Noct. ut in Communi primo loco.

DIE XIV. MAII.

In Festo B. Ægidii Conf., dupl.

Omnia de Communi Conf. non Pontificis.

Lect. tamen primi Noct. de Scriptura.

Oratio.

Misericórdiam tuam Deus súpplices implorámus: ut sicut, ea præveniénte, Beatum Ægídium in viam justítiæ, & sanctitátis redíre fecisti; ita nos è servitúte, ac morte peccáti, in perféctam tránsferas libertátem, & vitam. Per Dóminum.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Ægidius Vouśélæ Viśénsis Diœcésis óppidi in Lusitánia claris paréntibus natus, primis à pueritia litterárum stúdiis imbútus, ad Philosóphiam, & Medicínam totum se cóntulit, neque exíguam in iis sibi nóminis famam comparávit. Nova subínde arcána rerum sciéndi cupidíssimus ad Parisiénsem Académiam proféctus est, ubi effræni licéntia vitæ abréptus in omne sese vítium, & voluptátem effúdit. Dum verò própriæ salútis immémor in ætérnam perníciem planè cæcus agerétur, & præceps, tanto Divínæ grátiæ lúmine collustrátus est, ut repéntè in virum

rum álterum sit commutátus. Véterem itaque hóminem statim éxuens cum áctibus suis, re doméstica in familiáres, & pauperes distribúta, Prædicatórum Ordinem ampléxus est.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, & custodívit eum ab inimícis,& à seductóribus tutávit illum, * Et dedit illi claritátem ætérnam,allelúia. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, & osténdit illi Regnum Dei. Et dedit.

Lectio v.

IN ipso novæ vitæ tyrocínio magnum advérsus vítia,& concupiscéntias certámen instítuit. Quò pristinam in carne sua indulgéntiam vindicáret, corpus inédia, vigíliis, cilício, caténa férrea ad mortem usque lumbis injécta,omnique pœnárum génere impénsè afflictávit. Dies, noctésque à lachrymis sibi numquam temperábat; & qui humánæ laudis, & glóriæ appetentíssimus fúerat, humilióra contémptus sui arguménta semper est consectátus. Gravíssimis tentatiónibus à dæmone appetitus insignes ex diutúrna colluctatióne victórias tulit. Sacris stúdiis diligénter exáctis, Apostólicæ prædicatióni óperam in Lusitánia ferventissimam dedit. Univérsis in Hispánia sui Ordinis Cœnóbiis præfuit magno disciplínæ increménto. Eo tamen múnere mox abdicáto, quò soli Deo víveret, in Scalabitánum Cœnóbium sénio gravis secéssit.

℟. Amávit eum Dóminus, & ornávit eum, stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas Paradísi coronávit eum, allelúia. ℣. Induit eum Dóminus loricam fidei, & ornávit eum. Et ad portas Paradísi.

Lectio vi.

DIvínæ contemplatiónis stúdio, æternórumque desidério ita afficiebátur, ut nihil jam in votis habéret ardéntius, quàm dissólvi, & esse cum Christo. Miríficas, & diutúrnas in oratióne éstases patiebátur córpore aliquándo è terra subláto; ac vel solo audíto nómine Jesu ineffábili suavitáte perfúsus sénsibus excidébat. Supérnis visiónibus, prophetíæ dono, miraculórum frequéntia latè conspícuus adhuc vivens exímiæ cláruit fama sanctitátis. Revelátum sibi divínitus mortis diem exultabúndus prospéxit, ac levi morbo tentátus Sacraméntis Ecclésiæ summa religióne percéptis,in cilício sterni vóluit,mœréntesque Fratres verbis suavíssimis allocútus octogenário maior placidíssimè

mè excéssit anno salútis millésimo ducentésimo sexagésimo quinto. Ejus corpus suavíssimè olens, multisque statim miráculis clarum Lusitanórum cultum nunquam intermissum obtínuit, quem Benedíctus Décimus quartus ritè probávit, ejúsque Officium, & Missam in Ecclésia Lisbonénsi, ac Viténsi, & Prædicatórum Ordine celebrári concéssit.

℟. Iste homo perfécit ómnia, quæ locútus est ei Deus, & dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus Géntibus, allelúia. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi,& pervénit ad cæléstia Regna. Quia te vidi justum. Glória Patri. Quia te.

In tertio Nocturno, ut in Communi Confessoris non Pontif. primo loco.

DIE XXV. MAII.

In Festo S. Gregorii VII. Papæ, & Confessoris, duplex.

Omnia de Communi Confessoris Pontificis, præter sequentia.

Oratio.

DEus in te sperántium fortitúdo, qui Beátum Gregórium Confessórem tuum, atque Pontíficem, pro tuénda Ecclésiæ libertáte virtúte constántiæ roborásti: da nobis ejus exémplo,& intercessióne, ómnia adversántia fórtiter superáre. Per Dóminum.

Deinde fit commemoratio S. Urbani Papæ, & Mart.

In primo Nocturno, Lectiones de Script. occurr.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

GRegórius Papa Séptimus, ánteà Hildebrándus, Soánæ in Etrúria natus, doctrína, sanctitáte, omníque virtútum génere cùm primis nóbilis, mirificè univérsam Dei illustravit Ecclésiam. Cum párvulus ad fabri ligna edolántis pedes, jam litterárum inscius, lúderet, ex rejéctis tamen segméntis illa Davídici eleménta oráculi: Dominábitur à mari usque ad mare; casu formásse narrátur, manum púeri ducénte Númine, quo significarétur ejus fore amplíssimam in mundo auctoritátem. Romam deínde proféctus sub protectióne Sancti Petri educátus est. Júvenis Ecclésiæ libertátem à laicis oppréssam, ac depravátos Ecclesiasticórum mores veheméntiùs dolens, in Cluniacénsi Monastério, ubi sub Régula Sancti Benedícti austerióris vitæ observántia eo témpore máximè vigébat, Mónachi hábitum índuens, tanto pietátis ar-

ardóre Divínæ Majestáti deserviébat, ut à sanctis ejúsdem Cœnóbii Pátribus Prior sit eléctus. Sed divína providéntia majóra de eo disponénte in salútem plurimórum, Cluníaco edúctus Hildebrándus, Abbas primùm Monastérii Sancti Pauli extra muros Urbis eléctus, ac póstmodum Románæ Ecclésiæ Cardinális creátus, sub Summis Pontificibus, Leóne Nono, Victóre Secúndo, Stéphano Nono, Nicoláo Secúndo, & Alexándro Secúndo præcípuis munéribus, & legatiónibus perfúnctus est; Sanctíssimi, & puríssimi consílii vir à Beáto Petro Damiáno nuncupátus. A Victóre Papa Secúndo Legatus à látere in Gálliam missus, Lugdúni Epíscopum simoníaca labe inféctum ad sui críminis confessiónem miráculo adégit. Berengárium in Concílio Turonénsi ad iterátam hæresis abjuratiónem compulit. Cadolái quoque schisma sua virtúte compressit.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei, allelúia. ℣. Nihil proficiet inimícus in eo, & filius iniquitátis non nocebit ei. Manus enim.

Lectio v.

Mortuo Alexándro Secúndo, invitus, & mœrens unánimi ómnium consénsu, décimo Kaléndas Maii, anno Christi millésimo septuagésimo tértio, Summus Póntifex eléctus, sicut Sol effúlsit in Domo Dei: nam potens ópere, & sermóne, Ecclesiásticæ disciplínæ reperándæ, Fidei propagándæ, libertáte Ecclésiæ restituéndæ, extirpandis erróribus, & corruptélis tanto stúdio incúbuit, ut ex Apostolórum ætáte nullus Pontíficum fuisse tradátur, qui majóris pro Ecclésiæ Dei labóres, molestiásque pertúlerit, aut qui pro ejus libertáte ácriùs pugnáverit. Aliquot Províncias à simoníaca labe expurgávit. Contra Henríci Imperatóris ímpios conátus fortis per ómnia athléta impávidus permánsit, seque pro muro dómui Israel pónere non tímuit, ac eúmdem Henrícum in profúndum malórum prolápsum Fidélium communióne, régnoque privávit, atque súbditos pópulos fide ei data liberávit.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, & exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei, allelúia. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto

cto meo unxi eum. Manus enim.

Lectio vi.

DUm Missárum solémnia perágeret, visa est viris piis Colúmba è cælo delápsa húmero ejus dextro insidens alis exténsis caput ejus veláre, quo significátum est, Spíritus Sancti afflatu, non humánæ prudéntiæ ratiónibus ipsum duci in Ecclésiæ regímine. Cùm ab iníqui Henríci exércitu Romæ gravi obsidióne premerétur, excitátum ab hóstibus incéndium signo Crucis extínxit. De ejus manu tandem à Robérto Guiscárdo Duce Northmánno eréptus, Cassínum se cóntulit; atque inde Salérnum ad dedicándam Ecclésiam Sancti Matthæi Apóstoli conténdit. Cùm aliquándo in ea Civitáte sermónem habuísset ad pópulum, ærúmnis conféctus in morbum incidit, quo se interitúrum præscivit. Postréma moriéntis Gregórii verba fuere: Diléxi justítiam, & odívi iniquitátem, proptéreà mórior in exílio. Innumerabília sunt, quæ vel fórtiter sustínuit, vel multis coáctis in Urbe Synodis sapiénter constítuit vir, verè sanctus, críminum vindex, & acérrimus Ecclésiæ defénsor. Exáctis itaque in Pontificátu annis duódecim, migrávit in cælum anno salútis millésimo octogésimo quinto, plúribus in vita, & post mortem miráculis clarus, ejúsque sacrum corpus in Cathedráli Basílica Salernitána est honorificè cónditum.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, & omnis terra doctrína ejus repléta est: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum, allelúia. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, & pervénit ad cæléstia Regna. Ipse intercédat. Glória Patri. Ipse.

In tertio Nocturno.

Léctio Sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vii. *Cap.* 24. d

IN illo témpore: Dixit Jesus Discípulis suis: Vigiláte, quia nescitis, qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et réliqua.

Homilía Sancti Hilárii Epíscopi.

Comment. in Matth. Cant. 26. in fine.

UT ignorántiam illam diei ómnibus táciti, non sine útilis siléntii ratióne esse scirémus, vigiláre nos Dóminus propter advéntum furis admónuit, & oratiónum assiduitáte deténtos, ómnibus præceptórum suórum opéribus inhærére. Furem enim esse osténdit

zá-

zábulum, ad detrahénda ex nobis spólia pervígilem, & córporum nostrórum dómibus insidiántem: ut ea incuriósis nobis, & somno déditis, consiliórum suórum atque illecebrárum jáculis perfódiat. Parátos ígitur esse nos cónvenit, quia diei ignorátio inténtam solicitúdinem suspénsæ expectatiónis exágitet.

℟. Amávit eum Dóminus, & ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum: * Et ad portas Paradísi coronávit eum. Allelúia. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fidei, & ornávit eum. Et ad portas.

Lectio viii. *Cant.* 27.

Quisnam est fidélis servus, & prudens, quem constítuit Dóminus super famíliam suam? Quamquam id commúni nos ad indeféssam vigilántiæ curam adhortétur: speciálem tamen pópuli princípibus, id est Epíscopis, in expectatióne adventúque suo solicitúdinem mandat. Hunc enim servum fidélem atque prudéntem, præpósitum famíliæ signíficat, cómmoda atque utilitátes commíssi sibi pópuli curántem. Qui si dicto áudiens, & præcéptis obédiens erit, id est, si doctrinæ opportunitáte, & veritáte infírma confírmet, disrúpta consólidet, depraváta convértat, & verbum vitæ in æternitátis cibum aléndæ famíliæ dispéndat, atque hæc agens, hisque ímmorans deprehendátur, glóriam à dómino tamquam dispensátor fidélis, & víllicus útilis consequétur, & super ómnia bona constituétur: id est, in Dei glória collocábitur, quia nihil sit ultrà, quod mélius sit.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, lucérnæ ardéntes in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus expectántibus dóminum suum, quando revertátur à núptiis, allelúia. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et vos símiles. Glória Patri. Et vos.

Lectio ix.

Quòd si cóntuens longam Dei patiéntiam, quæ in proféctum humánæ salútis exténditur, advérsum consérvos insoléscet, & sæculi malis vitiísque se tradet, præséntium tantùm curam in cultu ventris exércens: desperáta die Dóminus advéniet, eúmque à bonis, quæ spopónderat, dividet, portionémque ejus cum hypócritis in pœnæ æternitáte constítuet: quia advéntum desperáverit, quia man-

mandátis non obtemperáverit, quia præséntibus ſtudúerit, quia vita Géntium vixerit, quia desperatióne judícii commisſam ſibi famíliam fame, ſiti, cæde vexáverit.

Te Deum laudámus.

FINIS.

PROPRIUM SANCTORUM OLISIPONENSIS ECCLESIÆ.

PARS ÆSTIVA.

FESTA MAII.

DIE XI. MAII.

In Festo S. Joannis Damasceni Confessoris, duplex.

Omnia de Communi Confess. non Pontif. præter ea, quæ sequuntur.

Oratio.

DEus, qui restitúta Beáto Joánni Confessóri tuo mirabiliter déxtera Imáginum sacrárum cultum in Ecclésia conservásti: ejus méritis, & précibus indúlge; ut quorum Imágines in terris venerámur, eórum aspéctu dignémur in cælis. Per Dóminum.

In primo Noct. Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

JOánnes Damásci (unde illi cognómen Damascéni factum) nóbili génere natus, patrem hábuit Christi fide, ac piis móribus illústrem, neque Christiánis modò, in quos è captivitáte rediméndos, alendósque largas opes conferébat; verùm ipsis étiam Sarracénis jam tum Damáscum obtinéntibus (apud quos públicis negótiis tota ditióne administrándis præerat) charíssimum. Eúndem, quem patrem, per ánimam sortitus bonam áliquot jam annis habébat & magístrum; cùm à Sarracénis piráticam agéntibus Damáscum captívus inter álios Cosmas Mónachus defértur, vir humánis, divinísque lítteris doctíssimus. Huic è barbarórum vínculis erépto bonis ártibus, ac móribus instituéndus adoléscens tráditur; qui, ut vívido erat ingénio, doctrínæque omnis capáci æquè, ac tenáci; brevi sic ómnia perdídicit, ut magíster, nihil ultrà jam habens, quod docéret, missióne ceu labóris præmio impetráta, solútus, ac liber ad Lauram Sancti Sabbæ convolárit, illuc & ipsum deinde discípulum expéctans.

℞. Honéstum fecit illum Dóminus, & custodívit eum ab inimícis, & à seductóri-

bus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas,& osténdit illi Regnum Dei. Et dedit illi.

Lectio v.

INterim pater Joánnis móritur, relictúmque filium patre ipso melióem videns Sarracenórum Princeps, invitum licèt, ejus præfectúra, mox & primi Consiliárii dignitáte ornat. Quo témpore, cùm Leo Isáuricus in sacras Imágines, earúmque cultóres impiè sævíret, ejus furórem nequáquàm tímuit Joánnes; sed cálamo, velut ense,pugnans, hæresi latè grassánti se fórtiter oppósuit. Quod ubi Leo deprehéndit, dolo, cùm vi non posset, agéndum ratus, eum apud Sarracénos insímulat, quasi de prodénda Damásco secum per litteras, útique confictas agitántem, quo factum, ut déxtera illi manus bárbari Príncipis jussu amputarétur. Affuit tamen prompta innocéntiæ vindex. Deípara Virgo, ante cujus Imáginem dum suam, ejúsque causam non tam vócibus,quam lácrymis ágeret Joánnes, obdormiscens, ab ea sibi visus est de manu, ad piè pro sacris Imaginibus decertándum, rédditа monéri. Quam cùm evigilans, non ália, quam stillántis cruóris glútine, suo íterùm conjúnctam bráchio conspexisset, servis manumissis, & quibus affluébat, ópibus in páuperes largè distribútis, pauper ipse, ac solus Hierosólymam ad loca Christi vestígiis consecráta piè venerándа peregrinátus, inde in Lauram secéssit cum Cosma magístro suo vitam illic monásticam actúrus.

℟. Amavit eum Dóminus, & ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas Paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fidei, & ornávit eum. Et ad portas.

Lectio vi.

IN eo Monastério, cùm tanti discípuli magíster esse doctíssimus quisquis senum recusáret, unus quidam áliis simplícior, sed & austérior, curam, quam illi defúgerant, suscépit. Sub cujus disciplína Joánnes, cæca præsértim obediéntia, magnanimáque sui abjectióne, eò Christiánæ virtútis,ac sapiéntiæ progréssus est, ut ab eo, qui præcíperet, numquam causas quæsíerit præcépti quantúmvis árdui, aut insóliti;abjectióra domi múnia sibi semper concupíerit: foris autem aliquándo vili centóne indútus sportas, quas texúerat, húmeris impó-

pósitas, Damáscum, ubi ántea vicem Príncipis egisset, attúlerit, duplo plus sólito (sic enim sénior júsferat) vendéndas; vulgi forénsis risus, ac ludíbria largè sibi scílicet emptúrus. Donec, magistro, à Deípara per visum admónito, jussus est sápiens sciéntiam suam non ámpliùs abscóndere, sed tamquam imbres elóquia míttere sapiéntiæ; quod ille scriptis deínceps libris luculénter fecit, magno sanè Fidei Orthodóxæ bono, hæresis autem damno, ac dolóre. Quo velut acúleo compúncti Príncipes Iconómachi, váriè relegátum, aut carcéribus inclúsum afflixére. Sed Coprónymus étiam clávium Ecclésiæ potestátem stólidè sibi árrogans, quotánnis in abséntem anáthema, brutum véluti fulmen, jácere non dubitávit. Ille autem à Patriárcha Hierosolymitáno Présbyter ritè ordinátus, bonum ubíque certámen certans, bonámque semper conféssus confessiónem, in bona étiam senectúte mórtuus est: vir planè divínus, Deóque plenus à Sancto Stéphano junióre Mónacho, & Mártyre méritò appellátus.

℟. Iste homo perfécit ómnia, quæ locútus est ei Deus, & dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus Géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, & pervénit ad cæléstia Regna. Quia te vidi justum. Glória Patri. Quia te.

In tertio Nocturno.

Léctio Sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Lectio vii. *Cap. 6.*

In illo témpore: Factum est & in álio sábbatho, ut intráret Jesus in Synagógam, ut docéret: & erat ibi homo, & manus ejus déxtera erat árida. Et réliqua.

Homilía Sancti Petri Chrysólogi Epíscopi.

Serm. 32.

In hoc hómine ómnium hóminum imágo figurátur, in hoc géritur cura cunctórum, in hoc universórum sánitas diù expectáta reparátur. Arúerat enim manus hóminis magis stupóre Fidei, quàm siccitáte nervórũ, & plus culpa consciéntiæ, quàm debilitáte carnáli. Antíqua nimis ista erat, & quæ in ipso mundi princípio contígerat ægritúdo: nec arte hóminis, aut benefício póterat hæc curári, quæ Dei fúerat indignatióne contrácta: tetígerat vetíta, inconcéssa præsúmpserat, cùm se ad árborem sciéndi bonum, malúmque porréxerat: auctóre indigébat, non

qui malágma impóneret, sed qui posset illátam relaxáre senténtiam, & ignoscéndo resólvere, quod religáverat indignándo.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, & de omni corde suo laudávit Dóminum: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, & pérmanens in innocéntia sua. Ipse intercédat pro peccátis.

Lectio viii.

IN hoc hómine nostræ tantùm géritur umbra sanitátis: perfécta autem salus nobis reservátur in Christo: quia tunc aríditas nostræ manus miseránda dissólvitur, cùm cruóre perfúnditur Domínicæ Passiónis, cùm in illo vitáli ligno Crucis exténditur, cùm carpit fructuósam de dolóre virtútem, cùm totam árborem salútis ampléctitur, cùm clavis Dómini corpus affígitur, quò nunquam ad árborem concupiscéntiæ, & áridæ rédeat voluptátis. Et ait hómini habénti manum áridam: Surge in médium, proféssor debilitátis própriæ, supérnæ pietátis exáctor, testis Divínæ virtútis, Judáicæ incredulitátis assértor, surge in médium: ut quos non compúngit virtus tanta signórum, quos non ópera tantæ salútis inclinant, vel debilitátis tantæ miserátio constringat, & mitiget.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, & lucérnæ ardéntes in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus expectántibus dóminum suum, quando revertátur à núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et vos. Glória Patri. Et vos.

Lectio ix.

DIxit hómini: Exténde manum tuam. Et exténdit, & restitúta est manus illíus. Exténde manum tuam: jussióne sólvitur, quæ fúerat jussióne convíncta. Exténde manum tuam: Agnóvit pœna Júdicem, opus Deum, indulgéntia pródidit Conditórem. Oráte, fratres, ut sola synagóga tali debilitáte fuscétur, nec sit in Ecclésia, cujus manum arefáciat cupíditas, cóntrahat avarítia, rapína debilitet, tenácitas ægrótam constríngat: sed, si accíderit id ipsum, studiat Dóminum, & citò eam in ópere pietátis exténdat, reláxet, & in misericórdia, & in eleemósynis pórrigat. Sanári nescit, qui nescit páuperi fœnerári.

Te Deum laudámus.

DIE

DIE XII. MAII.

In Festo Sanctæ Joannæ Virginis, semiduplex.

Omnia de Communi Virg. præter sequentia.

Oratio.

DEus, qui inter regáles delícias, & mundi illécebras, Beátam Joánnam Vírginem tuam virtúte constántiæ roborásti: quæsumus; ut ejus intercessióne Fidéles tui terréna despíciant, & ad cæléstia semper aspirent. Per Dóminum.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

JOánna Alphónsi quinti Lusitániæ Regis filia, tanta Divíni amóris flamma prævénta fuit, ut ab ipsa pueritia rerum caducárum pertæsa, solo cæléstis Pátriæ desidério flagráret. Erga Domínicæ Passiónis mystérium mirificè affécta, vix áliquid de illo loqui, vel audíre sine lácrymis póterat; licètque in ejúsdem meditatióne fere semper defixa viderétur, majóris tamen hebdómadæ dies, omnésque sextas férias solo pane, & aqua conténta, in oratiónibus, & vigiliis devotissimè transigébat: mira fuit in páuperes pietáte, & liberalitáte, bis in die per fidéles ministros de illis diligentíssimè inquirens. Adolescéntiam ingréssa, ut in Dei láudibus, & charitátis officiis magis se rédderet expedítam, carnem suam contínua fermè abstinéntia, & cruéntis flagellatiónibus affligere cœpit. Nonnisi duro léctulo ad brevem somnum utebátur, ac pretiósis véstibus ásperum tegens cilícium, láneam étiam, & rudem intérulam nequídem in ferventióribus calóribus depónere consuévit. Hanc insólitam ádeò in Régia Vírgine vivéndi ratiónem non modò Joánna prudénti dissimulatióne celáre conabátur, ut secúriùs retinéret; sed étiam Deus ipse, aucto in dies insignis formæ decóre, comprobáre visus est.

℟. Propter veritátem, & mansuetúdinē, & justitiam: * Et dedúcet te mirabiliter déxtera tuā. ℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua, inténde, prósperè procéde, & regna. Et dedúcet.

Lectio v.

A Præcipuis Európæ Princípibus expetíta, terrénas núptias constantissimè réspuit, frustrà illam urgéntibus Alphónso patre, & Joánne fratre, quorum moléstam nimis importunitátem, accépta divínitùs, ut fertur, futúri Sponsi morte, feliciter superávit. Carnis igitur, & sánguinis victrix in Aveirénse Monastérium Or-

Ordinis Sancti Domínici se recépit, ubi relíctis ómnibus ad pedes Priorissæ provolúta, religiósum hábitum suppliciter pétiit. Voti compos effécta, quibus ante virtútibus inter aulæ blandiéntis illécebras ádeò florúerat, multò magis in Cœnóbio eminére visa fuit, eo progréssu, ut in ipso tyrocínio provectióribus esset exémplo. Reguláris Institúti observantíssima, ne à vilióribus quidem Sorórum exercítiis abstinébat, tam perfécta obediéntia, & humilitáte, ut Regii sánguinis prorsus oblita viderétur. Licèt autem superiórum consílio solémnem Profelliónem invíta distúlerit, advérsa plerúmque valetúdine, ac obniténtibus unà cum fratre Regni totíus ordínibus, ab incæpto nihilóminùs dimovéri numquam pótuit.

℟. Dilexísti justítiam, & odísti iniquitátem: * Proptéreà unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, & mansuetúdinem, & justítiam. Proptéreà.

Lectio vi.

QUod oratióni supérerat tempus, áliis pietátis impendébat officiis: & animárum zelo flagrans, non modò Sorótes omnes verbo, & exémplo ad perfectiónem accéndere satagébat, sed éxteris quoque prodésse non déstitit, asſíduas ad Deum preces, ad voluntários ófferens córporis cruciátus pro peccatórum conversióne. Africanórum captivórum plúrimos, adhíbitis verbi Dei Minístris, Ecclésiæ aggregávit, quorum ipsa non paucos ímbuit Christiánæ Fidei præcéptis. Vitæ dénique asperitáte, corporisque afflictatiónibus conſécta, diutúrnum, ac molestíssimum morbum in contemplatióne Domínicæ Passiónis invícta patiéntia tólerans, suscéptis devotíssimè Sacraméntis innocéntem ánimam Deo réddidit quarto Idus Maii anno salútis millésimo quadringentésimo nonagésimo, ætátis verò suæ trigésimo nono. Ejus sanctitátis opínio longè, latèque diffúsa, miraculórum étiam fama statim post óbitum claréscere cœpit. Tandem Innocéntius Duodécimus, ut in toto Portugálliæ Regno, ac univérso Prædicatórum Ordine possit de Beáta Joánna, anniversária ejus dormitiónis die, Officium recitári, ac Missa celebrári de Cómuni Vírginum, indúlsit.

℟. Afferéntur Regi vírgines post eam, próximæ ejus, * Afferéntur tibi in lætítia, & exultatióne. ℣. Spé-

Spécie tua, & pulchritúdine tua, inténde, prósperè procéde, & regna. Afferéntur tibi. Glória Pari. Afferéntur.

In iii. Noct. ut in Communi Virg. primo loco.

DIE XIII. MAII.

In Festo Dedicationis Beatæ Mariæ ad Martyres, duplex maius.

Tempore Paschali totum fit, ut in Festo Gaudiorum: extra verò tempus Paschale fit, ut in Festo ad Nives die 5. Augusti, exceptis Lection. secundi Nocturni, quæ dicuntur, ut infrà.

In secundo Nocturno.

Sermo Sancti Augustini Epíscopi.

In Assumpt. Beat. Mariæ Virginis. Serm. 2. qui est de SS. Serm. 53.

Lectio iv.

LOquámur áliquid, fratres, in láudibus sacratíssimæ Vírginis. Sed quid nos tantilli? quid actióne pusilli? Quid in ejus láudibus referémus, cùm etsi ómnium nostrum membra verteréntur in linguas, eam laudáret sufficeret nullus? Altior cælo est, de qua lóquimur: abysso profúndior, cui laudes dícere conámur. Hæc est enim, quæ sola méruit Mater, & Sponsa vocári: hæc primæ matris damna resólvit: hæc hómini pérdito redemptiónem addúxit. Mater enim géneris nostri pœnam íntulit Mundo. Génitrix Dómini nostri salútem édidit mundo. Auctrix peccáti Heva, Auctrix méritì Maríæ. Heva occidéndo óbfuit: María vivificándo prófuit: illa percússit, ista sanávit.

℟. Sicut cedrus exaltáta sum in Líbano, & sicut cypréssus in monte Sion: quasi myrrha elécta, * Dedit suavitátem odóris. ℣. Et sicut cinnamómum, & bálsamum aromatizans. Dedit suavitátem.

Lectio v.

HÆc enim mirábili modo ómnium rerum, & suum péperit Salvatórem. Quæ hæc Virgo tam sancta, ad quam veníre dignarétur Spíritus Sanctus? Quæ tam speciósa, ut eam sibi Deus elígeret Sponsam? Quæ tam casta, ut esse posset virgo post partum? Hæc est Dei templum, fons ille signátus, & porta in domo Dei clausa: ad hanc namque, ut dixi, Spíritus Sanctus descéndit, hanc virtus Altíssimi obumbrávit. Hæc est immaculáta cóitu, fœcúnda partu, virgo lactans, Angelórum, & hóminum cibum nútriens. Méritò namque beáta singulári à nobis præcónio extóllitur, quæ singuláre

láre commércium mundo præbuit. Dénique tantùm se ad cæli fastigia sublevávit, ut Verbum in principio apud Deum de supérna cæli arce susciperet.

℟. Quæ est ista, quæ procéssit sicut Sol, & formósa tamquam Jerúsalem? * Vidérunt eam filiæ Sion, & beátam dixérunt, & reginæ laudavérunt eam. ℣. Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum, & lília convállium. Vidérunt eam.

Lectio v.

OH felix María, & omni laude digníssima! Oh Virgo Dei Génitrix glorióſa! Oh sublimis Puérpera, cujus viscéribus Auctor Cæli, terræque committitur! Oh felícia óscula lacténtis lábiis impréssa! Cum inter crebra indícia reptántis infántiæ, utpotè verus ex te Filius tibi matre allúderet, cùm verus ex Patre Dóminus imperáret. Nam Auctórem tuum ipsa concipiens, edidísti in témpore Redemptórem, quem habébas ante témpora Conditórem. Oh felix puerpérium, lætábile Angelis, optábile Sanctis, necessárium pérditis, congruum profligátis! Qui post multas assúmptæ carnis injúrias, & ad últimum verberátus flagris, putátus felle, affixus patíbulo, ut te veram Matrem osténderet, verum se hóminem patiéndo monstrávit.

℟. Ornátam monílibus filiam Jerúsalem Dóminus concupívit: * Et vidéntes eam filiæ Sion, beatíssimam prædicavérunt, dicéntes: * Unguéntum effúsum nomen tuum. ℣. Astitit Regína à dextris tuis in vestítu deauráto, circúmdata varietáte. Et vidéntes. Glória Patri. Unguéntum effúsum.

In ii. Vesp. commem. S. Ægidii, & S. Bonifacii, ut in Breviario.

DIE XIV. MAII.

In Festo B. Ægidii Conf., dupl.

Omnia de Communi Conf. non Pontificis.

Lect. tamen primi Noct. de Scriptura occurrente.

Oratio.

MIsericórdiam tuam Deus súpplices implorámus: ut sicut, ea præveniénte, Beátum Ægídium in viam justítiæ, & sanctitátis redire fecisti; ita nos è servitúte, ac morte peccáti, in perféctam tránsferas libertátem, & vitam. Per Dóminum.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

ÆGidius Vousélæ Viénsis Diœcésis óppidi in Lusitánia claris paréntibus natus, primis à pueritia lit-

litterárum ſtúdiis imbútus, ad Philoſóphiam, & Medicínam totum ſe cóntulit, neque exíguam in iis ſibi nóminis famam comparávit. Nova ſubínde arcána rerum ſciéndi cupidiſſimus ad Pariſiénſem Académiam proféctus eſt, ubi effræni licéntia vitæ abréptus in omne ſeſe vitium, & voluptátem effúdit. Dum verò própriæ ſalútis ímmemor in ætérnam perníciem planè cæcus agerétur, & præceps, tanto Divínæ grátiæ lúmine colluſtrátus eſt, ut repéntè in virum álterum ſit commutátus. Véterem itaque hóminem ſtatim éxuens cum áctibus ſuis, re doméſtica in familiáres, & páuperes diſtribúta, Prædicatórum Ordinem ampléxus eſt.

℟. Honéſtum fecit illum Dóminus, & cuſtodívit eum ab inimícis, & à seductóribus tutávit illum, * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Juſtum dedúxit Dóminus per vias rectas, & oſténdit illi Regnum Dei. Et dedit.

Lectio v.

IN ipſo novæ vitæ tyrocínio magnum advérſus vítia, & concupiſcéntias certámen inſtítuit. Quò príſtinam in carne ſua indulgéntiam vindicáret, corpus inédia, vigíliis, cilício, caténa férrea ad mortem uſque lumbis injécta, omnique pœnárum génere impénsè afflictávit. Dies, noctésque à láchrymis ſibi numquam temperábat; & qui humánæ laudis, & glóriæ appetentiſſimus fúerat, humilióra contémptus ſui arguménta ſemper eſt conſectátus. Graviſſimis tentatiónibus à dæmone appetítus insígnes ex diutúrna colluctatióne victórias tulit. Sacris ſtúdiis diligénter exáctis, Apoſtólicæ prædicatióni óperam in Luſitánia ferventíſſimam dedit. Univérſis in Hiſpánia ſui Ordinis Cœnóbiis præfuit magno diſciplínæ increménto. Eo tamen múnere mox abdicáto, quò ſoli Deo víveret, in Scalabitánum Cœnóbium ſénio gravis ſeccéſſit.

℟. Amávit eum Dóminus, & ornávit eum; ſtolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas Paradíſi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus loricam fidei, & ornávit eum. Et ad portas Paradíſi.

Lectio vi.

DIvínæ contemplatiónis ſtúdio, æternórumque deſidério ita afficiebátur, ut nihil jam in votis habéret ardéntius, quàm diſſólvi, & eſſe cum Chriſto. Miríficas, & diutúrnas in oratióne éſtaſes patiebátur córpore ali-

aliquándo è terra subláto: ac vel solo audíto nómine Jesu ineffábili suavitáte persúsus sénsibus excidébat. Supérnis visiónibus, prophetiæ dono, miraculórum frequéntia latè conspícuus adhuc vivens exímiæ cláruit fama sanctitátis. Revelátum sibi divínitus mortis diem exultabúndus prospéxit, ac levi morbo tentátus Sacraméntis Ecclésiæ summa religióne percéptis, in cilício sterni vóluit, mœréntesque Fratres verbis suavíssimis allocútus octogenário maior placidíssimè excéssit anno salútis millésimo ducentésimo sexagésimo quinto. Ejus corpus suavíssimè olens, multisque statim miráculis clarum Lusitanórum cultum nunquam intermíssum obtínuit, quem Benedíctus Décimus quartus ritè probávit, ejúsque Officium, & Missam in Ecclésia Lisbonénsi, ac Visénsi, & Prædicatórum Ordine celebrári concéssit.

℟. Iste homo perfécit ómnia, quæ locútus est ei Deus, & dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus Géntibus. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, & pervénit ad cæléstia Regna. Quia te vidi justum. Glória Patri. Quia te.

In tertio Nocturno, ut in Communi primo loco.

DIE XXV. MAII.

In Festo S. Gregorii VII. Papæ, & Confessoris, duplex.

Omnia de Communi Confessoris Pontificis, præter sequentia.

Oratio.

Deus in te sperántium fortitúdo, qui Beátum Gregórium Confessórem tuum, atque Pontíficem, pro tuénda Ecclésiæ libertáte virtúte constántiæ roborásti: da nobis ejus exémplo, & intercessióne, ómnia adversántia fórtiter superáre. Per Dóminum.

Deinde fit commemoratio S. Urbani Papæ, & Mart.

In primo Nocturno, Lectiones de Script. occurr.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Gregórius Papa Séptimus, ánteà Hildebrándus, Soánæ in Etrúria natus, doctrína, sanctitáte, omníque virtútum génere cùm primis nóbilis, mirífìcè univérsam Dei illustravit Ecclésiam. Cum párvulus ad fabri ligna edolántis pedes, jam litterárum inscius, lúderet, ex rejéctis tamen segméntis illa Davídici eleménta oráculi: Dominábitur à mari usque ad mare; casu formásse narrátur, ma-

num púeri ductánte Númine, quo significarétur ejus fore amplíssimam in mundo auctoritátem. Romam deínde proféctus sub protectióne Sancti Petri educátus est. Júvenis Ecclésiæ libertátem à laicis oppréssam, ac depravátos Ecclesiasticórum mores veheméntiùs dolens, in Cluniacénsi Monastério, ubi sub Régula Sancti Benedícti austerióris vitæ observántia eo témpore máximè vigébat, Mónachi hábitum índuens, tanto pietátis ardóre Divínæ Majestáti deserviébat, ut à sanctis ejúsdem Cœnóbii Pátribus Prior sit eléctus. Sed divína providéntia majóra de eo disponénte in salútem plurimórum, Cluníaco edúctus Hildebrándus, Abbas primùm Monastérii Sancti Pauli extra muros Urbis eléctus, ac póstmodum Románæ Ecclésiæ Cardinális creátus, sub Summis Pontificibus, Leóne Nono, Victóre Secúndo, Stéphano Nono, Nicoláo Secúndo, & Alexándro Secúndo præcípuis munéribus, & legatiónibus perfúnctus est: Sanctíssimi, & puríssimi consílii vir à Beáto Petro Damiáno nuncupátus. A Victóre Papa Secúndo Legatus à látere in Gálliam missus, Lugdúni Epíscopum simoníaca labe inféctum ad sui críminis confessiónem miráculo adégit. Berengárium in Concílio Turonénsi ad iterátam hæresis abjuratiónem cómpulit. Cadolái quoque schísma sua virtúte compréssit.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil proficiet inimícus in eo, & filius iniquitátis non nocebit ei. Manus enim.

Lectio v.

MOrtuo Alexándro Secúndo, invitus, & mœrens unánimi ómnium consénsu, décimo Kaléndas Maii, anno Christi millésimo septuagésimo tértio, Summus Póntifex eléctus, sicut Sol effúlsit in Domo Dei; nam potens ópere, & sermóne, Ecclesiásticæ disciplínæ reperándæ, Fidei propagándæ, libertáte Ecclésiæ restituéndæ, extirpandis erróribus, & corruptélis tanto stúdio incúbuit, ut ex Apostolórum ætáte nullus Pontíficum fuisse tradátur, qui majóris pro Ecclésiæ Dei labóres, molestiásque pertúlerit, aut qui pro ejus libertáte ácriùs pugnáverit. Aliquot Províncias à simoníaca labe expurgávit. Contra Henríci Imperatóris ímpios conátus fortis per ómnia

mnia athléta impávidus permánsit, seque pro muro dómui Israel pónere non timuit, ac eúmdem Henrícum in profúndum malórum prolápsum Fidélium communióne, régnoque privávit, atque súbditos pópulos fide ei data liberávit.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, & exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus enim.

Lectio vi.

DUm Missárum solémnia perágeret, visa est viris piis Colúmba è cælo delápsa húmero ejus dextro insidens alis exténsis caput ejus veláre, quo significátum est, Spíritus Sancti afflátu, non humánæ prudéntiæ ratiónibus ipsum duci in Ecclésiæ regímine. Cùm ab iníqui Henríci exércitu Romæ gravi obsidióne premerétur, excitátum ab hóstibus incéndium signo Crucis extínxit. De ejus manu tandem à Robérto Guiscárdo Duce Northmánno eréptus, Cassínum se cóntulit; atque inde Salérnum ad dedicándam Ecclésiam Sancti Matthæi Apóstoli conténdit. Cùm aliquándo in ea Civitáte sermónem habuísset ad pópulum, ærúmnis conféctus in morbum incidit, quo se interitúrum præscívit. Postréma moriéntis Gregórii verba fuére: Diléxi justítiam, & odívi iniquitátem, proptéreà mórior in exílio. Innumerabília sunt, quæ vel fórtiter sustínuit, vel multis coáctis in Urbe Synodis sapiénter constítuit vir, verè sanctus, críminum vindex, & acérrimus Ecclésiæ defénsor. Exáctis itaque in Pontificátu annis duódecim, migrávit in cælum anno salútis millésimo octogésimo quinto, plúribus in vita, & post mortem miráculis clarus, ejúsque sacrum corpus in Cathedráli Basílica Salernitána est honorificè cónditum.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, & omnis terra doctrína ejus repléta est: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, & pervénit ad cæléstia Regna. Ipse intercédat. Glória Patri. Ipse.

FESTA

FESTA JUNII.

FERIA VI. POST Octavam Corporis Christi.

Officium Sanctissimi Cordis Domini nostri Jesu Christi.

AD VESPERAS.

Antiph. De torrénte in via bibit : proptéreà exaltávit caput.

Psal. 109. Dixit Dóminus, *qui est prim. in Vesp. Dominicæ, in Psalt.*

Antiph. Miserátor Dóminus, redemptiónem misit pópulo suo.

Psal. 110. Confitébor tibi, Dómine, in toto corde meo, *secund. in Vesp. Dominic.*

Antiph. Apud Dóminum misericórdia, & copiósa apud eum redémptio.

Psalm. 129. De profúndis clamávi ad te, Dómine, *qui est quart. in Vesp. feriæ quartæ, in Psalt.*

Antiph. Super misericórdia tua, Dómine, confitébor tibi in toto corde meo.

Psal. 137. Confitébor tibi, Dómine, in toto corde meo : quóniam audísti, *primus in fer. sexta ad Vesp. in Psalt.*

Antiph. Suávis Dóminus univérsis, & miseratiónes ejus super ómnia ópera ejus.

Psalm. 144. Exaltábo te, Deus meus Rex, *secund. in Sabbat. ad Vesp. in Psalt.*

Capitulum. Cant. 3. 11.

EGredimini, & vidéte, Filiæ Sion, Regem Salomónem in diadémate, quo coronávit eum mater sua in die desponsatiónis ejus, & in die lætítiæ Cordis ejus.

Hymnus.

QUicúmque certũ quæritis
Rebus levámen áspe-ris :
Seu culpa mordet ánxia,
Seu pœna vos premit comes.

Jesu, qui, ut agnus innocens,
Sese immolándũ trádidit,
Ad Cor reclúsũ vúlnere,
Ad mite Cor accédite.

Audítis ut suavíssimis
Invítet omnes vócibus!
Venite quos gravat labor,
Premítque pondus críminum.

Quid Corde Jesu mítius?
Jesũ Cruci qui affixerant
Excúsat, & Patrem rogat,
Ne perdat ultor ímpios.

O Cor, voluptas cælitum
Cor fida spes mortálium,
En hisce tracti vócibus
Ad te venimus súpplices.

Tu nostra terge vúlnera
Ex te fluénte sánguine :
Tu da novum cor ómnibus,
Qui te geméntes invocant. Amen.

℣. Mi-

℣. Miserátor, & miséricors Dóminus.

℟. Longánimis, & multum miséricors.

Ad Magnificat.

Aña. Misericórdia Dómini à progénie in progénies timéntibus eum. Allelúia.

Oratio.

FAc nos, Dómine Jesu, Sanctíssimi Cordis tui virtútibus índui, & afféctibus inflammári: ut & imágini bonitátis tuæ confórmes, & tuæ Redemptiónis mereámur esse partícipes. Qui vivis, & regnas, &c.

AD MATUTINUM.

Invitatorium.

Cor Jesu, charitátis víctimam: Veníte, adorémus.

Psalm. Veníte, exultémus Dómino.

Hymn. Quicúmque certum quæritis, *ut supr. ad Vesp.*

IN I. NOCTURNO.

Antiph. Factum est cor meum tamquam cera liquéscens in médio ventris mei.

Psalm. 21. Deus, Deus meus, réspice in me, *ut in feria sexta ad prim.*

Aña. Sperávit cor meum in Dómino, & adjútus sum, & reflóruit caro mea.

Psal. 27. Ad te, Dómine, clamábo, *secund. in fer. secund. ad Matut.*

Antiph. Convertísti planctum meum in gáudium mihi, & circumdedísti me lætítia.

Psal. 29. Exaltábo te, Dómine, quóniam suscepísti me, *quartus in fer. secund. ad Matut.*

℣. Ego autem in Dómino gaudébo.

℟. Et exultábo in Deo Jesu meo.

Pater noster.

De Epístola Beáti Pauli Apóstoli ad Ephésios.

Lectio i. Cap. 1.

BEnedíctus Deus, & Pater Dómini nostri Jesu Christi, qui benedíxit nos in omni benedictióne spirituáli in cæléstibus in Christo. Sicut elégit nos in ipso ante Mundi constitutiónem, ut essémus sancti & immaculáti in conspéctu ejus, in charitáte. Qui prædestinávit nos in adoptiónem filiórum per Jesum Christum in ipsum, secúndum propósitum voluntátis suæ, in laudem glóriæ grátiæ suæ: in qua gratificávit nos in dilécto Fílio suo: in quo habémus redemptiónem, per sánguinem ejus, remissiónem peccatórum, secúndum divítias grátiæ ejus. Proptérea non cesso grátias agens pro vobis, memóriam vestri fáciens in oratiónibus meis: ut Deus, Dómini nostri Jesu Christi Pater glóriæ, det vobis spíritum sapiéntiæ, & revelatiónis,

nis, in agnitióne ejus illuminátos óculos cordis vestri: ut sciátis quæ sit spes vocatiónis ejus, & quæ divítiæ glóriæ hæreditátis ejus in sanctis.

℞. Gratificávit nos Deus in dilécto Fílio suo: In quo habémus redemptiónem per sánguinem ejus, remissiónem peccatórum. ℣. Det nobis Dóminus illuminátos óculos cordis nostri, in agnitióne ejus. In quo habémus.

Lectio ii. Cap. 2.

DEus autem, qui dives est in misericórdia, propter nímiam charitátem suam, qua diléxit nos, & cum essémus mórtui peccátis, convivificávit nos in Christo (cujus grátia estis salváti) & conresuscitávit, & consedére fecit in cæléstibus in Christo Jesu: ut osténderet in sæculis superveniántibus abundántes divítias grátiæ suæ, in bonitáte super nos, in Christo Jesu. Ipse enim est pax nostra, qui fecit útraque unum: & médium parietem macériæ solvens, inimicítias in carne sua: legem mandatórum decrétis evácuans, ut duos condat in semetípso in unum novum hóminem fáciens pacem: & reconcíliet ambos in uno córpore, Deo, per Crucem: interfíciens inimicítias in semetípso: & véniens evangelizávit pacem vobis, qui longe fuistis, & pacem iis, qui prope: Quóniam per ipsum habémus accéssum ambo in uno spíritu ad Patrem.

℞. Propter nímiam charitátem suam, qua diléxit nos Deus, osténdit abundántes divítias grátiæ suæ: * In bonitáte super nos, in Christo Jesu. ℣. Ipse enim est pax nostra: per quam habémus accéssum ad Patrem. In bonitáte super nos.

Lectio iii. Cap. 3.

HUjus rei grátia flecto génua mea ad Patrem Dómini nostri Jesu Christi, ex quo omnis patérnitas in cælis & in terra nominátur, ut det vobis, secúndum divítias glóriæ suæ, virtúte corroborári per spíritum ejus in interiórem hóminem, Christum habitáre per Fidem in córdibus vestris: in charitáte radicáti, & fundáti: ut pòssitis comprehéndere cum ómnibus sanctis, quæ sit latitúdo, & longitúdo, & sublímitas, & profúndum: scire étiam supereminéntem sciéntiæ charitátem Christi: ut impleámini in omnem plenitúdinem Dei. Ei autem, qui potens est ómnia fácere superabundánter quam pétimus, aut intellígimus, secúndum virtú-

tútem, quæ operátur in nobis: ipsi glória in Ecclésia, & in Christo Jesu, in omnes generatiónes sæculi sæculórum. Amen.

℟. Det nobis Dóminus virtúte corroborári, per spíritum ejus, in interiórem hóminem: * Christum habitáre per Fidem in córdibus nostris. ℣. Ut in charitáte radicáti, & fundáti, comprehendámus supereminéntem sciéntiæ charitátem Christi. Christum habitáre. Glória Patri. Christum habitáre.

IN II. NOCTURNO.

Antiph. Gustáte, & vidéte, quóniam suávis est Dóminus: beatus vir, qui sperat in eo.

Psal. 33. Benedicam Dóminum in omni témpore, *octav. in fer. secunda ad Matut.*

Antiph. Propter veritátem, & mansuetúdinem, & justítiam, inténde, prósperè procéde, & regna.

Psal. 44. Eructávit cor meum verbum bonum, *sextus in fer. tertia ad Matut.*

Antiph. Judicábit pópulum in justítia, & páuperes in judício.

Psal. 71. Deus judícium tuum Regi da, *quart. in fer. quint. ad Matut.*

℣. Mihi autem adhærére Deo bonum est.

℟. Pónere in Dómino Deo spem meam. Pater noster.

De Sermóne Sancti Bernárdi Abbátis.

Serm. 3. de Pass.

Lectio iv.

Quia semel vénimus ad Cor dulcíssimum Jesu, & bonum est nos hic esse, ne sinámus nos fácile avélli ab eo, de quo scriptum est: recedéntes a te in terra scribéntur. Quid autem accedéntes? Tu ipse doces nos: Tu dixísti accedéntibus ad te: Gaudéte quia nómina vestra scripta sunt in Cælo. Accedámus ergo ad te, & exultábimur, & lætábimur in te, mémores Cordis tui. O quàm bonum, & quàm jucúndum habitáre in Corde hoc! Quin pótius dabo ómnia: omnes cogitatiónes, & affèctus mentis commutábo, jactans omne cogitátum meum in Cor Dómini Jesu, & sine fallácia illud me enútriet.

℟. Introdúxit me Rex in cellária sua: ordinávit in me charitátem. * Fulcíte me flóribus, stipáte me malis: quia amóre lángueo. ℣. Sub umbra illius, quem desideráveram, sedi: & fructus ejus dulcis gútturi meo. Fulcíte me.

Lectio v.

Ad hoc Templum, ad hæc Sancta Sanctórum, ad hanc Arcam Testamén-

ménti adorábo, & laudábo nomen Dómini, dicens cum David: Invénit cor meum, ut orem Deum meum. Et ego invéni Cor Regis, Fratris, & Amíci benígni Jesu. Et numquid non adorábo? Hoc ígitur Corde tuo, & meo, dulcíssime Jesu, invénto, orábo te Deum meum: admítte tantum in Sacrárium exauditiónis tuæ preces meas: immò me totum trahe in Cor tuum. O ómnium pulchritúdine speciosíssime Jesu, ámplius lava me ab iniquitáte mea, & à peccato meo munda me, ut purificátus per tę puríssimum, possim accédere, & in Corde tuo ómnibus diébus vitæ meæ mérear habitáre, & ut vidére simul, & fácere tuam váleam voluntátem.

℞. Hauriétis aquas in gáudio de fóntibus Salvatóris: & dicétis in illa die: * Confitémini Dómino, & invocáte nomen ejus. ℣. Ecce Deus Salvátor meus fiduciáliter agam, & non timébo. Confitémini.

Lectio vi.

AD hoc enim perforátum est latus tuum, ut nobis patéscat intróitus. Ad hoc vulnerátum est Cor tuum, ut in illo, & in te ab exterióribus perturbatiónibus absolúti, habitáre possímus. Nihilóminus & proptérea vulnerátum est, ut per vulnus visíbile, vulnus amóris invisíbile videámus. Quómodo hic ardor mélius osténdi potest, nisi quod non solum Corpus, verum étiam ipsum Cor láncea vulnerári permísit? Carnále ergo vulnus, vulnus spirituále osténdit. Quis illud Cor tam vulnerátum non diligat? Quis tam amans non rédamet? Quis tam castum non amplectátur? Nos ígitur adhuc in córpore manéntes, quantum póssumus amémus, redamémus, amplectémur vulnerátum nostrum, cujus ímpii agrícolæ fodérunt manus, & pedes, latus, & Cor: Stemúsque, ut cor nostrum durum adhuc, & impœnitens amóris sui vínculo constríngere, & jáculo vulneráre dignétur.

℞. Auferam cor lapídeum de carne vestra, & dabo vobis cor cárneum: * Et spíritum meum ponam in médio vestri. ℣. Effúndam super vos aquam vivam: & mundabímini ab ómnibus inquinaméntis vestris. Et spíritum meum. Glória Patri. Et spíritum meum.

IN III. NOCTURNO.

Antiph. Misericórdiam, & veritátem diligit Deus: grátiam, & glóriam dabit Dóminus.

Psal. 83. Quàm dilécta tabernácula tua, Dómine virtútum, *qui est quart. in fer. sext. ad Matut.*

Antiph. Dóminus dabit benignitátem, loquétur pacem in plebem suam.

Psal. 84. Benedixisti, Dómine, terram tuam, *in fer. sexta ad Matut.*

Antiph. Suávis & mitis es, Dómine, & multæ misericórdiæ ómnibus invocántibus te.

Psal. 85. Inclína, Dómine, aurem tuam, *ut in eadem fer. sexta ad Matut.*

℣. Misericórdia Dómini ab ætérno.

℞. Et usque in ætérnum, super timéntes eum.

Pater noster.

Léctio Sancti Evangélii secúndùm Joánnem.

Cap. 15. 9.

Lectio vii.

IN illo témpore dixit Jesus Discípulis suis: Sicut diléxit me Pater, & ego diléxi vos. Manéte in dilectióne mea. Et réliqua.

Homilía Sancti Bernardi Abbátis.

Serm. 13. *in Cœna Domini.*

DE dilectióne Dei quo plus bibo, plus sítio: & ea saturári non possum: nec ego, nec áliquis díligens Christum. Ipsa quo plus éditur, plus famem exáuget: & quanto plus ipsa bibitur, plus sitim inácuit: ipsam, quam inhábitat mentem, sic inébriat, ut nihil jam quærat, vel díligat, nec dilígere possit, nec váleat, præter eum, qui sic Mundum diléxit, ut Filium suum unigénitum daret: ut omnis, qui credit, & díligit illum, non moriátur, sed vivat cum eo. Ad hanc nos dilectiónem auctor ipse inæstimábilis charitátis invitat: in eo nos manére precátur, & rogat. Ait enim: Manéte in dilectióne mea: ac si apértè dicat: Quia ego ea dilectióne, qua me Pater díligit, vos díligo: eádem dilectióne me vos dilígere rogo. Et quóniam diléctio vestra me usque ad mortem perdúxit, sed neque mors crudelíssima ipsa a vestra charitáte me sejúnxit, me dilígite; & in ea dilectióne manéte.

℞. Sicut diléxit me Pater, & ego diléxi vos: * Manéte in dilectióne mea. ℣. Si præcépta mea servavéritis, manébitis in dilectióne mea, sicut & ego Patris mei præcépta servávi, & máneo in ejus dilectióne. Manéte.

Lectio viii.

SEd quáliter in ejus dilectióne manére debeámus, séquitur, & dicit: Si præcépta mea servavéritis, manébitis in ea dilectióne: Sicut Patris mei præcépta ser-

servávi, & máneo in ejus dilectióne. Hæc ópera: Fratres mei, sunt causa dilectiónis Christi: unusquísque vestrûm vídeat, si Dóminum Jesum diligere débeat. Quid pro nobis fácere débuit, & non fecit? Quómodo non plus amáre pótuit, & non amávit? Maiórem in nobis dilectiónem non pótuit habére, quam hábuit: quia ánimam suam pro nobis pósuit. Ipsa beáta véritas testis est, quam maiórem nemo habet, ut ánimam suam ponat quis pro amícis suis. Non ergo nobis viléscat, Fratres mei, ipsa diléctio Christi, qui diléxit nos, & lavit nos à peccátis nostris in sánguine suo: non nobis viléscat, Fratres mei: non vobis amaréscat ipse amor Christi, ipsa cháritas Christi.

℟. Christus pro nobis ánimam suam pósuit: * Et lavit nos à peccátis nostris in sánguine suo. ℣. Maiórem charitátem nemo habet, ut ánimam suam ponat quis pro amicis suis. Et lavit nos. Glória Patri. Et lavit nos.

Lectio ix.

AMor Christi totus dulcis totus delectábilis: suum possessórem non crúciat, sed deléctat: non enérvat, sed róborat: cuncta terréna subsánnat: sola cæléstia captat. Christi mandáta requírit, & ea pro víribus observáre conténdit: & de observatióne præceptórum gressu felíci provéhitur ad perceptiónem gaudiórum, ut cum illo jam perfécte gáudeat, pro cujus desidério in hac valle lacrymárum pósitus tam amáre felíciter suspirábat. Unde recte séquitur: Hæc locútus sum vobis, ut gáudium meum in vobis sit, & gáudium vestrum impleátur; ac si díceret: Ideo præcípio vobis, & móneo vos mea observáre præcépta, & manére in dilectióne mea, ut gáudium meum in vobis sit: & gáudium vestrum de me adimpleátur: ut hábeam de vobis per mútuam charitátem, quam mihi impénditis, unde possim gaudére: & illud gáudium, quod in retributióne præmiórum elécti sunt perceptúri, percipere, & possidére possitis.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES.

Antiph. Díscite à me, quia mitis sum & húmilis corde, & inveniétis réquiem animábus vestris.

Psalm. Dóminus regnávit, *cum reliquis de Laudibus Dominicæ.*

Antiph. Suávis est Dóminus, & in ætérnum misericórdia ejus.

Antiph. Sitívit in te, ánima

mea: quia mélior est misericórdia tua super vitas.

Antiph. Sancti, & húmiles corde, benedicite Dómino: Laudáte, & superexaltáte eum in sæcula.

Antiph. Beneplácitum est Dómino in pópulo suo: & exaltábit mansuétos in salútem.

Capitulum. *Cant.* 3.

EGredímini, & vidéte, Fíliæ Sion, Regem Salomónem in diadémate, quo coronávit eum mater sua in die desponsatiónis ejus, & in die lætitiæ Cordis ejus.

Hymnus.

SUmmi Paréntis Filio,
Patri futúri sæculi,
Pacis beátæ Principi,
Promámus ore cánticum.

Qui vulnerátus péctore
Amóris ictum pértulit,
Amóris urens ígnibus
Ipsum qui amántem diligunt.

Jesu dolóris víctima,
Quis te innocéntem cómpulit,
Dura ut apértum láncea
Latus patéret vúlneri.

O fons amóris ínclite!
O vena aquárum límpida!
O flamma adúrens crímina!
O Cordis ardens cháritas!

In Corde, Jesu, júgiter
Recónde nos, ut úberi
Dono fruámur grátiæ,
Cælique tandem præmiis.

Semper Paréntí, & Filio,
Sit laus, honor, sit glória,
Sancto simul Paráclito
In sæculórum sæcula.
Amen.

℣. Misericórdia Dómini ab ætérno.

℟. Et usque in ætérnum super timéntes eum.

Ad Benedictus.

Antiph. Per víscera misericórdiæ suæ visitávit nos Deus, & fecit redemptiónem pópuli sui. Allelúia.

Oratio.

FAc nos, Dómine Jesu, Sanctíssimi Cordis tui virtútibus indui, & afféctibus inflammári: ut & imágini bonitátis tuæ confórmes, & tuæ Redemptiónis mereámur esse partícipes. Qui vivis & regnas.

AD PRIMAM.

Antiph. Díscite à me.

℟. *br.* Christe Fili Dei vivi,* Miserére nobis. Christe.

℣. Per quem salváti & liberáti sumus. Miserére.

Glória Patri. Christe.

℣. Exúrge Christe.

℟. Et líbera nos.

Ad Absol Capit. Lectio br. Impropérium expectávit cor meum, *ut infra ad Nonam.*

AD TERTIAM.

Antiph. Suávis est Dóminus.

Capitulum. Egredímini, *ut ad Laudes.*

℟. *br.* Misericórdia tua, Dó-

Dómine, * plena est terra. Misericórdia tua. ℣. Justificatiónes tuas doce me. Plena est terra. Glória Patri. Misericórdia tua, Dómine.

℣. Secúndùm misericórdiam tuam vivífica me, Dómine.

℟. Et custódiam testimónia oris tui.

AD SEXTAM.

Antiph. Sitívit in te.

Capitulum. Cant 8. 6.

Pone me ut signáculum super cor tuum, ut signáculum super bráchium tuum: quia fortis est, ut mors, diléctio.

℟. *br.* Secúndùm misericórdiam tuam * vivífica me, Dómine. Secúndùm. ℣. Et custódiam testimónia oris tui. Vivífica me, Dómine. Glória Patri. Secúndùm misericórdiam.

℣. Fac cum servo tuo secúndũ misericórdiam tuam.

℟. Et doce me justificatiónes tuas.

AD NONAM.

Antiph. Beneplácitum est.

Capitulum. Psal. 68.

Impropérium expectávit cor meum, & misériam: & sustínui, qui simul contristarétur, & non fuit: qui consolarétur, & non invéni.

℟. *br.* Fac cum servo tuo * secúndùm misericórdiam tuam. Fac cum servo tuo. ℣. Et justificatiónes tuas doce me. Secúndùm misericórdiam tuam. Glória Patri. Fac cum servo tuo.

℣. Véniat super me misericórdia tua, Dómine.

℟. Salutáre tuum, secúndùm elóquium tuum.

IN II. VESPERIS.

Omnia ut in primis, præter sequentia.

℣. Misericórdia Dómini à progénie in progénies.

℟. Timéntibus eum.

Ad Magnificat.

Antiph. Suscépit nos Dóminus in sinum & Cor suum, recordátus misericórdiæ suæ. Allelúia.

Oratio, ut suprà.

DIE XII. JUNII.

In Vigilia Sancti Antonii.

Nona Lectio Homilia in Evangelium Nolite timére *de Communi Confessoris non Pontificis secundo loco.*

Oratio.

Adésto, Dómine, supplicatiónibus nostris: & intercessióne Beáti Antónii Confessóris tui, cujus prævenimus festivitátem: perpétuam nobis misericórdiam benígnus impénde. Per Dóminum.

DIE XIII. JUNII.

In Festo S. Antonii Confessor. duplex secundæ classis, cum octava.

Omnia de Communi Confessoris

foris non Pontificis, præter ea, quæ hic habentur.

Ad Vesperas, Antiphona Sapiéntiam ejus, *cum reliquis de Laudibus. Psalmus* Dixit Dóminus, *cum reliquis de Dominica, & ultimo loco, Psalm.* Laudáte Dóminum omnes Gentes.

Capitulum. Eccles. 59.

QUasi Stella matutína in médio nébulæ, & quasi Luna plena in diébus suis lucet, & quasi Sol effúlgens, sic ille effúlsit in domo Dei.

Hymnus.

QUid Lusitános déserens
Migras ad Afros? sánguinis
Ostrum petis; sed cándida
Debéntur innocéntiæ.

Aliò ingruéntes déferent
Venti: beábis Italos:
Túmulo fruéntur éxteri
Noménque non suo dabunt.

Ah ne Beátis ádditus
Pátriæ sepúlchrum præferas!
Quæ sidus ora prótulit,
Hæc prima vires séntiat.

Quin tu benígno lúmine,
Pópulos utrósque sóspitas,
Ex æquo utrósque ampléderis,
Par es fovéndis ómnibus.

Præsta, Pater piíssime,
Patrique compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito,
Regnans per omne sæculum. Amen.

℣. Amávit eum Dóminus, & ornávit eum.

℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Ad Magnificat, Antiphona.

O' lingua benedícta, quæ Dóminum semper benedixísti, & álios benedícere docuísti: nunc perspícuè cérnitur quanti mériti fúeris apud Deum.

Oratio.

ECclésiam tuam, Deus, Beáti Antónii Confessóris tui solémnitas votíva lætíficet: ut spirituálibus semper muniátur auxíliis, & gáudiis pérfrui mereátur ætérnis. Per Dñum nostrum.

Fit commemoratio antecedentis.

Ad Matutinum, Invitator.

Regem Dóminum in confessióne Beáti Antónii, * Venite, adorémus.

Psalm. Venite, exultémus.

Hymnus. Quid Lusitános, *ut suprà.*

In primo Nocturno.

De Libro Sapiéntiæ.

Lectio i. Cap. 6.

MElior est sapiéntia, quàm vires: & vir prudens, quàm fortis. Clara est, & quæ numquam marcéscit, sapiéntia, & fácilè vidétur ab his, qui díligunt eam,

eam, & invenitur ab his, qui quærunt illam. Præóccupat, qui se concupíscunt, ut illis se prior osténdat. Qui de luce vigilávit ad illam, non laborábit: assidéntem enim illam fóribus suis invéniet. Cogitáre ergo de illa sensus est consummátus: & qui vigiláverit propter illam, citò erit secúrus. Quóniam dignos se ipsa circuit quærens, & in viis suis osténdit se illis hiláriter, & in omni providéntia occúrrit illis.

℟. Euge serve bone & fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam: * Intra in gáudium Dómini tui. ℣. Dómine, quinque talénta tradidísti mihi, ecce ália quinque superlucrátus sum. Intra in gáudium Dómini tui.

Lectio ii. *Cap.* 7.

OPtávi, & datus est mihi sensus, & invocávi, & venit in me spíritus sapiéntiæ: & præpósui illam regnis, & sédibus, & divítias nihil esse duxi in comparatióne illíus. Nec comparávi illi lápidem pretiósum; quóniam omne aurum in comparatióne illius aréna est exígua, & tamquam lutum æstimábitur argéntum in conspéctu illíus. Super salútem, & spéciem diléxi illam, & propósui pro luce habére illam: quóniam inextinguíbile est lumen illíus.

℟. Justus germinábit sicut lílium: * Et florébit in ætérnum ante Dóminum. ℣. Plantátus in domo Dómini, in átriis domus Dei nostri. Et florébit.

Lectio iii.

VEnérunt autem mihi ómnia bona páriter cum illa, & innumerabilis honéstas per manus illíus. Et lætátus sum in ómnibus, quóniam antecedébat me ista sapiéntia, & ignorábam, quóniam horum ómnium mater est. Quam sine fictióne dídici, & sine invídia commúnico, & honestátem illius non abscóndo. Infinítus enim thesáurus est homínibus: quo qui usi sunt, partícipes facti sunt amicítiæ Dei, propter disciplinæ dona commendáti. Mihi autem dedit Deus dicere ex senténtia, & præsúmere digna horum, quæ mihi dantur: quóniam ipse sapiéntiæ dux est, & sapiéntium emendátur.

℟. Iste cognóvit justítiam, & vidit mirabília magna, & exorávit Altíssimum: * Et invéntus est in número Sanctórum. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, & pervénit ad cæléstia Regna. Et invéntus. Glória Patri. Et invéntus.

In

In ii. Nocturno, ut in Breviario die 13. *Junii.*

In iii. Nocturno, Homil. in Evang. Vos estis sal terræ, *ut in Communi Doctorum cum* ℟℟. *ibi pro non Pontif.*

AD LAUDES,
& per Horas, Antiph.

SApiéntiam ejus narrent pópuli, & laudem ejus núntiet Ecclésia.

Psalm. Dóminus regnávit, *cum reliquis de Dominica.*

Antiph. Símilem illum fecit in glória Sanctórum, & in verbis suis monstra placávit.

Antiph. Dedit illi in præcéptis suis potestátem, & in lege sua lucem dare Israel.

Antiph. Surréxit quasi ignis, & verbum ipsíus quasi fácula ardébat.

Antiph. Diréctus est divinitùs in pœniténtiam gentis, & tulit abominatiónes impietátis.

Capitulum. Eccles. 50.

QUasi Stella matutína in médio nébulæ, & quasi Luna plena in diébus suis lucet, & quasi Sol effúlgens, sic ille effúlsit in domo Dei.

Hymnus.

LÆti sodáles pláudite,
Diem refert Antónius:
Cæli decus, flos cælitum,
Et Solis astro púlchrior.

Hic ille, qui facúndia
Cives, & urbes cómmovet.
Vertit rebélles Númini
In filiórum péctora.

Hic ille, quem natántium
Cohors, theatráles gradus
Formans in undis, áudiit
Mortálibus prudéntior.

En jure lingua nóbilis
Extíncta vivis, rórida,
Prisca rubens in púrpura,
Et muta adhuc es éloquens.

Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Nunc, & per omne sæculum. Amen.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas.

℟. Et osténdit illi Regnum Dei.

Ad Benedictus, Antiphona. Favus distillans lábia ejus: mel, & lac sub lingua ejus.

Oratio.

ECclésiam tuam, Deus, Beáti Antónii Confessóris tui solémnitas votiva lætíficet: ut spirituálibus semper muniátur auxíliis, & gáudiis pérfrui mereátur ætérnis. Per Dóminum.

Ad Tertiam, Antiphona. Símile illum.

Capitulum. Quasi Stella, *ut supra.*

℟. *br.* Amávit eum Dóminus, * Et ornávit eum. Amávit. ℣. Stolam glóriæ induit eum. Et ornávit. Glória Patri. Amávit.

℣. Os justi meditábitur sapiéntiam.

℟. Et lingua ejus loquétur judícium.

Ad Sextam, Antiphona. Dedit illi.

Capitulum. Ecclef. 50.

Quasi arcus refúlgens inter nébulas glóriæ, & quasi flos rosárum in diébus vernis, & quasi lília, quæ sunt in tránsitu aquæ, & quasi thus rédolens in diébus æstátis.

℟. *br.* Os justi, * Meditábitur sapiéntiam. Os justi. ℣. Et lingua ejus loquétur judícium. Meditábitur. Glória Patri. Os justi.

℣. Lex Dei ejus in corde ipsíus.

℟. Et non supplantabúntur gressus ejus.

Ad Nonam, Antiphona. Diréctus est.

Capitulum. Ecclef. 50.

Quasi vas auri sólidum, ornátum omni lápide pretióso: quasi olíva púllulans, & cypréssus in altitúdinem se extóllens.

℟. *br.* Lex Dei ejus, * In corde ipsíus. Lex. ℣. Et non supplantabúntur gressus ejus. In corde. Glória Patri. Lex.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas.

℟. Et osténdit illi Regnum Dei.

In secundis Vesperis omnia ut in primis.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas.

℟. Et osténdit illi Regnum Dei.

Deinde fit commemoratio Sancti Basilii, ut in Breviario.

Infra Octav. S. Antonii, & in ipsa die octavæ fit idem Officium, quod inde, exceptis Lectionibus.

DIE XIV. JUNII.

Secunda die infra octavam S. Antonii.

Fit de S. Basilio Episc. & Confess. cum commem. octav. Sancti Antonii.

℣. Amávit eum.

DIE XV. JUNII.

Tertia die infra octavam Sancti Antonii.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Sermo Sancti Gregórii Nazianzéni.

Lectio iv.

Alii áliud quidpiam recté, & cum laude fáciunt, nonnúlli étiam ex plúribus virtútis genéribus quædam assequúntur. Nemo autem est, qui ómnia ad summum absólverit, eórum dumtáxat, quos nos cognóscimus: verùm is apud nos præstantíssimus hábetur, qui vel plura compléxus fúerit, vel unius números omnes expléverit. Sed Antónius ómni-

ómnium virtútum génera petagrávit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, & custodívit eum ab inimícis, & à seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, & osténdit illi Regnum Dei. Et dedit.

Lectio v.

EST, qui paupertátem laudet, vitámque símplicem, & supervacáneis rebus caréntem. Illi verò quid unquam fuit præter corpus, ac necessária carnis integuménta? Divítiæ autem illi erant nihil habére, & crux, quam solam tota vita familiárem habébat, multísque pecúniis excellentiórem sibi esse, existimábat. Neque enim fieri posse, ut quisquam ómnia, etiamsi velit, cólligat; verùm ómnia aspernári licére, sicque ómnibus rebus præstantiórem, sublimióremque se præbére.

℟. Amávit eum Dóminus, & ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas Paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fidei, & ornávit eum. Et ad portas.

Lectio vi.

HAc porrò mente præditus, atque ita comparátus, auro opus non hábuit, nec ináni glória, nec público illo præcónio. Crates Cratérem Thebánum libertáte donat, esse enim óptimus non vidéri studébat. Nec verò in dólio, ac médio foro habitábat, ut ex ómnium largitióne deliciósiùs víveret, inópiam in rerum cópiam novo modo convértens: verùm pauper erat ab omni glóriæ cupiditáte aliénus, atque ómnibus facultátibus, quas unquam hábuit, æquo ánimo projéctis, léviter, faciléque vitæ pélagus transmittébat.

℟. Iste homo perfécit ómnia, quæ locútus est ei Deus, & dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus Géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, & pervénit ad cæléstia Regna. Quia te vidi justum. Glória Patri. Quia te vidi justum.

In tertio Nocturno.

Léctio Sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vii. Cap. 5. b

IN illo témpore: Dixit Jesus Discípulis suis: Vos estis sal terræ. Quòd si sal evanúerit, in quo saliétur? Et réliqua.

Homilia Sancti Augustíni Epíscopi.

NOn potest cívitas abscóndi supra montem pó-

pósita, id est, fundáta super insignem, magnámque justítiam, quam signíficat étiam ipse mons, in quo dísputat Dóminus. Neque accéndunt lucérnam, & ponunt eam sub módio. Quid putámus ita esse dictum sub módio, ut occultátio tantum lucérnæ accipiénda sit, tamquam sit díceret: Nemo accéndit lucérnam, & occúltat illam? An áliquid étiam módius signíficat, ut hoc sit pónere lucérnam sub módio, superióra fácere córporis cómmoda, quàm prædicatiónem veritátis? Ut ideò quisque veritátem non prædícet, dum tímet, ne áliquid in rebus corporálibus, & temporálibus moléstiæ patiátur.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, & de omni corde suo laudávit Dóminum: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla: verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, & pérmanens in innocéntia sua. Ipse intercédat pro peccátis.

Lectio viii.

ET benè módius dícitur, sive propter retributiónem mensúræ, qua quisque recípiet, quæ gessit in córpore, ut illic inquit Apóstolus: Recípiet unusquisque, quæ gessit in córpore. Et tamquam de hoc módio córporis alio loco dícitur: In qua mensúra mensi fuéritis, in ea remetiétur vobis. Sive quóniam temporália bona, quæ córpore peragúntur, certa diérum mensúra & inchoántur, & tránseunt, quam fortásse signíficat módius: ætérna vero, & spirituália nullo tali fine coercéntur.

℟. In médio Ecclésiæ apéruit os ejus: * Et implévit eum Dóminus spíritu sapiéntiæ, & intelléctus. ℣. Jucunditátem, & exultatiónem thesaurizávit super eum. Et implévit. Glória Patri. Et implévit.

Nona Lectio legitur de Sanctis Vito, & sociis Martyrib. & commem. in Laud.

DIE XVI. JUNII.

Quarta die infra octavam Sancti Antonii.

In primo Nocturn. Lectiones de Scriptura occur.

In secundo Nocturno.

De Sermóne Sancti Gregórii Nazianzéni.

Lectio iv.

PRæclára res est continéntia, & parvo conténtum vívere, nec à voluptátibus superári, nec ventri, tamquam truculénto, & sórdido dómino parére. Quis numquam tenuióri, ac par-

parcióri cibo usus, penè étiam dicam, perinde carnis expers? Nam ventris inglúviem, atque ingurgitatiónem ad eos abjécerat, qui ab hóminum natúra ad brutórum natúram magis degenerárunt, quórumque servilis est vita, atque in terra prona.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, & custodívit eum ab inimícis, & à seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, & osténdit illi Regnū Dei. Et dedit.

Lectio v.

IPse autem nihil eórum, quæ semel in stómachum transmíssa, pari póstmodùm honóre sunt, magni ducébat: verùm necessáriis tantùm cibis, quámdiù licébat, vitam sustentábat, solásque has voluptátes, ac delícias censébat, nempè à voluptátibus, ac deliciis abhorrére, nec ob eam causam plúribus póstea indigére, sed lília, & aves, quibus simplex, & nàtíva est pulchritúdo, & victus fácili atque ex témpore quæsítus, ob óculos habére: quemádmodum Christus meus ádmonet, qui carnis paupertátem nostra causa súbiit, ut nos Divinitátis ipsius ópibus affluámus.

℟. Amávit eum Dóminus, & ornávit eum: stolam glóriæ induit eum, * Et ad portas Paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fidei, & ornávit eum. Et ad portas.

Lectio vi.

EXímia res est virgínitas & cœlibátus, atque in Angelórum, natúræque singuláris órdine censéri: véreor enim dícere Christi, qui cùm propter nos procreátos procreándus esset, ex Vírgine procreátur virginitátem lege cómprobans, ut hinc abducéntem, ac mundum contrahéntem, vel pótiùs mundum transmitténtem, præséntem, nimirum ad futúrum. Quis ígitur vel virginitátem maióri honóre prosecútus est, vel carnem légibus frænávit, idque non suo tantùm exémplo, sed étiam per ea, quæ perfécit?

℟. Iste homo perfécit ómnia, quæ locútus est ei Deus, & dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus Géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, & pervenit ad cæléstia Regna. Quia te vidi justum. Glória Patri. Quia te vidi.

In tertio Nocturno.

Léctio Sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio

Lectio vii. *Cap.* 5. b

IN illo témpore : Dixit Jesus Discípulis suis: Vos estis sal terræ. Quòd si sal evanúerit, in quo saliétur? Et réliqua.

Homilia Sancti Augustini Epíscopi.

SUb módio ergo lucérnam ponit quisquis lucem bonæ doctrínæ cómmodis temporálibus obscúrat, & regit. Super candelábrum autem ponit, qui corpus suum ministério Dei súbjicit, ut supérior sit prædicátio veritátis, & inférior sérvitus córporis: per ipsam tamen córporis servitútem excelléntior lúceat doctrína, quæ per officia corporália, id est, per vocem, & linguam, & cæteros córporis motus, in opéribus bonis insinuátur étiam discéntibus. Super candelábrum ergo ponit lucérnam, cùm dicit Apóstolus: Non sic pugno tamquam áerem cædens, sed castigo corpus meum, & servitúti subjício, ne fortè áliis prædicans, ipse réprobus invéniar.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, & de omni corde suo laudávit Dóminum: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, abstinens se ab omni ópere malo, & pérmanens in innocéntiâ sua. Ipse intercédat pro peccátis.

Lectio viii.

QUod verò ait: Ut lúceat ómnibus, qui in domo sunt, domum puto dictam habitatiónem hóminum, id est, ipsum mundum, propter id, quod supériùs ait: Vos estis lux mundi. Aut si domum quisquam vult accípere Ecclésiam, nec hoc est absúrdum. Sic lúceat, inquit, lumen vestrum coram homínibus, ut vídeant bona facta vestra, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est. Si tantúmmodò díceret: Sic lúceat lumen vestrum coram homínibus, ut vídeant bona facta vestra: finem constituisse viderétur in láudibus hóminum, quas quærunt hypócritæ, & qui ámbiunt ad honóres, & captant inaníssimam glóriam.

℟. In médio Ecclésiæ apéruit os ejus: * Et implévit eum Dóminus spíritu sapiéntiæ, & intelléctus. ℣. Jucunditátem, & exultatiónem thesaurizávit super eum. Et implévit. Glória Patri. Et implévit.

Lectio ix.

COntra quos dícitur: Si adhuc homínibus placérem, Christi servus non essem.

sem. Et per Prophétam : Qui homínibus placent, confúsi sunt, quia Deus níhili fecit illos. Et íterùm : Deus confringet ossa eórum, qui homínibus placent. Et rursus Apóstolus : Non efficiámur inánis glóriæ cúpidi. Et ipse iterùm : Probet autem se homo, & tunc in semetipso habébit glóriam, & non in áltero.

Te Deum laudámus.

DIE XVII. JUNII.

In Festo B. Teresiæ Viduæ, semiduplex.

Omnia de Communi non Virginum, præter Orationem, & Lectiones sequentes.

Oratio.

DEus, qui ad Ecclésiam tuam novis semper exémplis imbuéndam, Beátam Terésiam mundáno principátu despécto, ad humilitátis tuæ sectánda vestigia toto corde transire fecísti : concéde supplícibus tuis; ut terrénis ómnibus ipsíus imitatióne contémptis, in sola Crucis tuæ sequéla gloriári perpétuò mereámur. Qui vivis, &c.

In primo Noct. Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

TEréſia Sancii primi Lusitániæ Regis filia, tantæ virtútis spécimen à puerítia præbuit, ut cùm ea ætáte oratióni, jejúnii, eleemósynis tam sériò déditam avus & ipse pius adspíceret, láchrymas cohibére non posset. Adúlta jam ætáte, páriter, ac virtúte, nihil antíquius hábuit, quàm in religiósa claustra se cóndere, ut illibátam virginitátem perpétuò custodíret. Sed obstitit piis filiæ votis pater, cujus jussu Alphónso Regi Legionénsi consobríno suo in matrimónium data puélla annum décimum tértium nondum egréssa, quidquid ut cónjugi paréret, de austeritáte vitæ remísit, áliis virtútibus, misericórdia præsértim, compensávit. Nam & captívos sub Maurórum tyránnide degéntes redímere, & puéllas órphanas dotáre, & festa quavis die duódecim fœminas, totidémque púeros novis véstibus donáre consuévit. Itaque brevi, & mónitis, & exémplis eos in régios mores indúxit, ut penè Monastérium viderétur.

℟. Propter veritátem, & mansuetúdinem, & justítiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua, inténde, prósperè procéde, & regna. Et dedúcet.

Le-

Lectio v.

A Románo Pontífice admónita, núptias cum consanguíneo Rege, alióquin bona fide celebrátas, írritas esse, eo relícto, in Lusitániam rémeans pauló post in Lorvaniénsi Monastério, quod priùs instauráverat, Cisterciénse Institútum ampléxa est. Quod Sanctæ Reginæ exémplum sequútæ sunt multæ nóbiles vírgines è comitátu suo, quas illa deinde ad omnem pietátem, ac disciplínæ custódiam verbo semper, & factis mirabíliter inflammávit. Príncipem éxuens, ac fámulam índuens vilíssima quæque in Monastério obíbat múnia; ægrotántibus inserviébat; valéntes ad noctúrnas, & antelucánas preces excitábat, quibus explétis, réliquas sæpè horas orándo transigébat, miro intérdum splendóre corúscans, quandóque étiam in áere suspénsa. Quò Sponso cælésti chárior, eò sibi infénsior, láneam subúculam setis asperátam gestábat; stramínea cubábat in cúlcitra, rígidis flagris in ténerum corpus non usque ad sánguinem tantum, sed etiam vírium, atque ánimi deféctum sæviébat. Quartis, & sextis feriis, totóque Advéntus, ac Quadragésimæ témpore solo pane, & aqua sese reficiébat. Eucharístiam, cui uni avidíssimè inhiábat tot láchrymis, & suspiriis, tantóque pietátis sensu excipiébat, ut adstántes quosque mirè efficeret, ac religióne quadam commovéret. Mentis ardóri collóquia respondébant. Inspirábat audiéntibus amórem cæléstium, quo flagrábat, & fluxárum rerum contémptum, quo únicè gloriabátur.

℟. Dilexísti justítiam, & odísti iniquitátem: * Proptéreà unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, & mansuetúdinem, & justítiam. Proptéreà.

Lectio vi.

CUm autem ita víveret, ut se mori semper quotídie cogitáret, multis ántequàm morerétur, annis, ad sepúlchrum, quod sibi præparáverat síngulis diébus sedens, fúnebrem ipsa sibi psalmódiam præciniébat. Tandem ingruénti morbo, sacrórum ómnium præsidiis ritè munita, in templum deférri vóluit, ubi postquàm soróribus suprémo ampléxu valedixisset ad eum Mariáni Cántici, quod recitári jússerat, versículum: Suscépit Israel púerum suum, Creatóri suo ánimam réddidit. Incredíbilis in demórtuæ fácie pulchritúdo appá-

appáruit, ac tótum mox templum suavissimus odor pervásit: quin & è summo fastigio visus est globus igneus Solis instar attólli, & nubes transcéndere. Corpus post quátuor ferè sæcula integrum, atque odoriferum, recentibúsque sparsum flóribus repértum est. Alia mirácula tum vivéntis, tum mórtuæ multa, & magna celebrántur; claro indicio Beátam Regínam Regum Regi acceptissimam esse in Cælis, nec minùs pátrio regno fructuósam, & salutárem in terris.

℟. Fallax grátia, & vana est pulchritúdo: * Múlier timens Deum, ipsa laudábitur. ℣. Date ei de fructu mánuum suárum, & laudent eam in portis ópera ejus Múlier timens Deum. Glória Patri. Múlier.

In iii. Nocturno, Homilia S. Gregorii Papæ, in Evang. Simile est Regnum Cælórum thesáuro abscóndito in agro, *ut in Communi non Virginum.*

In secundis Vesp. à Capitulo de Octava cum com. B. Teresiæ, ac Ss. Martyr. Marc. &c.

DIE XVIII. JUNII.

Sexta die infra Octavam Sancti Antonii.

In primo Nocturno, Lect. de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

De Sermóne Sancti Gregórii Nazianzéni.

Lectio iv.

AGe ígitur, cùm multi viri, tum in véteri, tum in novo Testaménto pietate illústres extiterint, Legislatóres, militáres Duces, Prophétæ, Doctóres, fortes usque ad sánguinis profusiónem: cum illis Antónium nostrum conferámus, ut hic qualis fúerit, perspiciámus. Adam hoc honóre affécus est, ut Dei manu crearétur, & deliciárum Paradíso fruerétur, legémque primam acciperet. Attamen ille (ne quid ob primogéniti paréntis reveréntiam contumeliósè dicam) præcéptum non servávit: hic autem, & illud accépit, & consérvávit: nec à sciéntiæ ligno noxam contráxit, & flámeum gládium prætergréssus haud dúbiè ad Paradísum pervénit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, & custodívit eum ab inimícis, & à seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, & osténdit illi Regnum Dei. Et dedit.

Lectio v.

ENos primus spe ad Dóminum invocándum addú-

addúctus est: hic autem non solùm invocávit, sed quod invocatióne multò præstántius est, áliis quoque promulgávit. Enoch translátus est, pietátis præmium hac translatióne consecútus, vitæque sequéntis perículum effúgit: hujus autem vita nihil áliud quàm translátio erat: quippè perféctè in via perfécta probátus, & explorátus fúerit. Noe arca commissa est; & secúnda mundi fémina parvo ligno concrédita, & in aquis conserváta: hic autem impietátis dilúvium effúgit, civitatésque salútis arcas effécit, in hæreticórum undis fácilè, & léviter supernatántes.

℟. Amávit eum Dóminus, & ornávit eum: stolam glóriæ induit eum, * Et ad portas Paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus loricam fidei, & ornávit eum. Et ad portas.

Lectio vi.

MAgnus Abraham, & Patriárcha: & novi sacrifícii sacrificátor, eum, quem ex promissióne accéperat, benefícii Auctóri offert víctimam parátam, & álacrem, atque ad cædem properántem. Atque nec parva hujus nostri laus est, qui seípsum Deo óbtulit, nec quidquam in ejus locum tamquam ipsi par (quidnam enim illud esset?) substitútum est; sed plenè, perféctéque litátum. Isaac étiam, ántequam in lucem ederétur, promíssus est: hic autem seípsum promísit.

℟. Iste homo perfécit ómnia, quæ locútus est ei Deus, & dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, & pervénit ad cæléstia Regna. Quia. Glória Patri. Quia.

In tertio Nocturno.

Léctio Sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vii. *Cap.* 5. b

IN illo témpore: Dixit Jesus Discípulis suis: Vos estis sal terræ. Quòd si sal evanúerit, in quo saliétur? Et réliqua.

De Homilía Sancti Augustíni Epíscopi.

POstquam Dóminus cohortátus est audiéntes, ut se præparárent ad ómnia sustinénda pro veritáte, atque justítia, & non abscónderent bonum, quod acceptúri erant, sed ea benevoléntia discerent, ut cæteros docérent non ad laudem suam, sed ad glóriam Dei bona sua ópera referéntes: íncipit eos jam informáre, & docére quid dóceant: tamquam si quærerent dicéntes:

Ecce vólumus ómnia sustinére pro tuo nómine, & doctrínam tuam non abscóndere: sed quid est hoc ipsum, quod vetas abscóndi, & pro quo jubes ómnia toleréri?

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, & de omni corde suo laudávit Dóminum: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, & pérmanens in innocéntia sua. Ipse intercédat.

Lectio viii.

NUmquid áliud dictúrus es contra ea, quæ in lege scripta sunt? Non, inquit. Nolíte enim putáre, quóniam veni sólvere legem, aut Prophétas: non veni sólvere, sed adimplére. In hac enim senténtia sensus duplex est: secúndùm utrúmque tractándum est. Nam qui dicit: Non veni sólvere legem, sed adimplére: aut addéndo dicit, quod minus habet; aut faciéndo, quod habet. Nam qui áddidit, quod minus habet, non útique solvit, quod invenit, sed magis proficiéndo confirmat: & ideò séquitur, & dicit: Amen dico vobis, donec tránseat Cælum, & terra, ióta unum, aut unus apex non præteríbit à lege, donec ómnia fiant: dum enim fiunt étiam illa, quæ addúntur ad perfectiónem, multò magis fiunt illa, quæ præmíssa sunt ad inchoatiónem.

℟. In médio Ecclésiæ apéruit os ejus, * Et implévit eum Dóminus spíritu sapiéntiæ, & intelléctus. ℣. Jucunditátem, & exultatiónem thesaurizávit super eum. Et implévit. Glória Patri. Et implévit.

Nona Lectio legitur de Ss. Marco, & Marcellino Martyr. cum commemoratione eorum in Laudibus.

In ii. Vesperis a Capitulo S. Julianæ Virg. cum commem. octav. ac Ss. Gervasii, &c. Martyrum.

DIE XIX. JUNII.

In Festo S. Julianæ de Falconeriis Virginis, semiduplex.

Omnia de Communi Virginum, exceptis iis, quæ hic propria ponuntur.

Ad Vesperas, & ad Matutinum.

Hymnus.

CÆléstis Agni núptias,
O' Juliána, dum petis,
Domum patérnam déseris,
Chorúmque ducis Vírginú.
Spónsumque suffixum Cruci,
Noctes, diésque dum gemis,

Do-

Dolóris icta cúspide
Sponsi refers imáginem.
Quin septifórmi vúlnere
Fles ad genu Deíparæ;
Sed crescit infúsa fletu,
Flammásque tollit cháritas.
Hinc morte fessam próxima
Non usitáto te modo
Solátur, & nutrit Deus,
Dapem supérnam pórrigens.
Ætérne rerum Cónditor,
Ætérni Fili par Patri,
Et par utríque Spíritus,
Soli tibi sit glória.
Amen.

Oratio.

DEus, qui Beátam Juliánam Vírginem tuam extrémo morbo laborántem pretióso Filii tui Córpore mirabiliter recreáre dignátus es: concéde quæsumus; ut ejus intercedéntibus méritis, nos quoque eódem in mortis agóne reféсti, ac roboráti ad cæléstem pátriam perducámur. Per eúmdem Dóminum nostrum.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

JUliána ex nóbili Falconéria família, Claríssimo Patre, qui templum Deíparæ ab Angelo salutátæ ære suo magnificè à fundaméntis Floréntiæ, ut nunc visitur, eréxit, Matre Reguardáta, ambóbus jam senescéntibus, ac ad id tempus sterílibus, nata est anno millésimo ducentésimo septuagésimo. Ab incunábulis non exíguum futúræ sanctitátis spécimen dedit; vagiéntibus quippe labris, suavíssima Jesu, & Maríæ nómina ultrò proférre audíta est. Pueritiam póstmodum ingréssa totam se Christiánis virtútibus mancipávit, quibus ádeò excélluit, ut Beátus Aléxius pátruus, cujus institútis, ac exémplis instruebátur, Matri dícere non dubitáverit, ipsam non fœminam peperisse, sed Angelum; nam ita modésto vultu, animóque ab omni vel levíssima erróris mácula pura fuit, ut óculos numquam in toto vitæ cursu ad hóminis fáciem intuéndam eréxerit, auditóque peccáti vocábulo contremúerit, imò scéleris narratióne percúlsa íllicò propè exánimis corrúerit. Expléto nondum decimoquínto ætátis suæ anno, re familiári, licèt opulénta, terrénisque posthábitis núptiis, Deo virginitátem in mánibus Divi Philíppi Benítii solémniter vovit, ab eóque ómnium prima religiósum Mantellatárum hábitum, ut dicunt, sumpsit.

℟. Propter veritátem, & mansuetúdinem, & justítiam: * Et dedúcet te mirabíliter

biliter déxtera tua. ℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua inténde, prósperè procéde, & regna. Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Lectio v.

JUliánæ exémplum secútæ sunt plúrimæ ex nobilióribus Famíliis fœminæ, ac Mater ipsa Fíliæ sese religiósè instituéndam dedit, ita ut, aucto paulátim número, Ordinem Mantellatárum instituerit, ac illi piè vivéndi leges summa prudéntia, ac sanctitáte tradíderit. Ejus virtútes cum óptimè perspéctas Divus Benítius habéret, morti próximus, nulli mélius, quàm Juliánæ, non fœminas tantùm, sed & totum Servórum Ordinem, cujus Propagátor, & Moderátor extíterat, commendátum vóluit. Verùm ipsa demissè semper de se cogitábat, & cùm cæterárum esset magistra, in re quaque doméstica, licet vili, Soróribus famulabátur. Assiduitáte orándi íntegras insumébat dies, in écstasim sæpissimè rapta, & si réliquum in sedándis Civium dissidiis, criminósis à via iniquitátis retrahéndis, ac inserviéndis impendébat ægrótis, quorum quandóque sániem ex ulcéribus manántem, admóto ore lambens, eos sanitáti restituébat. Corpus suum flagris, nodósis funículis, férreis cingulis, vigiliis, humi nudæ cubándo, térere sólita fuit. Parcíssimè cibo, & hoc vili quátuor hebdómadæ diébus, & réliquis duóbus solo Angelórum pane conténta, excépto die Sábbathi, quo pane solo, & aqua nutriebátur.

℟. Dilexísti justítiam, & odísti iniquitátem: * Proptéreà unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, & mansuetúdinem, & justítiam. Proptéreà unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ.

Lectio vi.

DUra hujúsmodi vivéndi ratióne in stómachi morbum íncidit, quo ingravescénte, cùm septuagésimum ætátis annum ágeret, ad extrémum vitæ spátium redácta est. Diutúrnæ valetúdinis incómmoda hilari vultu, constántique ánimo pértulit: de uno tantùm cónqueri audita est, quòd cùm cibum cápere, ac retinére nullo modo posset, ab Eucharística Mensa, ob Sacraménti reveréntiam arcerétur. Verùm his in angústiis constitúta, Sacerdótem rogávit, ut allátum divínum Panem, quem ore súmere nequíbat, péctori saltem extériùs admovéret. Précibus illius morem gessit Sacérdos,

dos, & mirum! Eódem témporis moménto, divínus Panis disparúit, & Juliána seréno, ac ridénti vultu expirávit. Res supra fidem támdiù fuit, donec virgíneum de more curarétur corpus; invénta enim est circa sinistrum péctoris latus carni véluti sigillo impréssa forma Hóstiæ, quæ Christi crucifixi effigiem repræsentábat. Hujus prodigii fama, cæterórumque miraculórum, non Floréntiæ tantùm, sed totíus Christiáni Orbis veneratiónem illi conciliávit, ac per quátuor prope íntegra sæcula ádeò aucta est, ut tamdem Benedictus Papa Décimustértius in ejus celebritáte Officium próprium recitári ab univérso Ordine Beátæ Maríæ Vírginis Servórum jússerit. Clemens verò Duodécimus munificentíssimus ejúsdem Ordinis Protéctor novis in dies miráculis coruscántem, Sanctárum Vírginum catálogo adscripsit.

℟. Afferéntur Regi vírgines post eam, próximæ ejus, * Afferéntur tibi in lætitia, & exultatióne. ℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua, inténde, prósperè procéde, & regna. Afferéntur tibi. Glória Patri. Afferéntur.

In iii. Nocturno Homilia S. Gregorii Papæ in Evang. Símile erit Regnum Cælórum decem Virgínibus, *ut in Communi Virginum.*

Nona Lectio Ss. Gervasii, & Protasii, & commemor. ad Laudes.

In ii. Vesperis commemor. S. Sylverii Papæ, & Martyris.

Missa de Communi Virg. Dilexisti.

DIE XX. JUNII.

Octava Sancti Antonii, duplex.

Ad Vesper. omnia, ut in primis Vesper. festi, & fit commemor. S. Julianæ, & Sancti Sylverii, ut in Breviario.

In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occur.

In secundo Nocturno.

De Sermóne Sancti Gregórii Nazianzéni.

Lectio iv.

TRánseo nunc ad novum Testaméntum, ac cum præclaríssimis illius viris vitæ ipsius ratiónem cónferens, ex magistris discípulum honorábo. Quis præcúrsor Jesu? Joánnes: ut vox sermónis, & ut lychnus lúminis, ante quem, & in ventre exiliit, & ad ínferos per Heródis furórem transmíssus est, ut illic quoque mox ventúrum prædicáret. Quòd si cui dúrior, atque audácior hæc fortè videátur orátio, illud priùs cógitet, me in hac comparatióne non id ágere, ut eórum,

qui è muliéribus nascúntur, máximo Antónium vel antepónam, vel exæquem, sed ut æmulatórem ejus fuisse osténdam, atque ex ejus forma, & charactére nonníhil circumtulísse.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, & custodívit eum ab inimícis, & à seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, & osténdit illi Regnum Dei. Et dedit illi claritátem ætérnam.

Lectio v.

AN non enim Philosóphiæ illíus imáginem perspícuè in se ipso expréssit? Ipse quoque in desérto habitávit: ipse quoque áspera veste tectus est: ipse quoque dignus est hábitus, qui Christi præco fieret, etsi non præcúrsor; atque ad eum egrediebátur non solùm omnis vicína régio, sed étiam extérna, & longè dissita. Ipse quoque inter duo testaménta médius, illíus vidélicet lítteram ábrogans, hujus spíritum promúlgans, ac per extérnæ, & visíbilis legis antiquatiónem, abscónditam legem implens.

℟. Amávit eum Dóminus, & ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum,* Et ad portas Paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fidei, & ornávit eum. Et ad portas.

Lectio vi.

PEtri zelum, Pauli contentiónem, & acrimóniam prædicatiónis imitátus est: illórum, inquam, clari nóminis virórum nominísque mutatiónem assecutórum, atque utriúsque Fidem: filiórum Zebedæi grandíloquéntiam, discipulórum ómnium frugalitátem, & superfluárum rerum contémptum: filiúsque tonitrui non quidem nominátur, sed efficitur; atque ad Jesu pectus jacens, illinc vim dicéndi, & profúnda ánimi sensa tulit. Nam Stéphanus fieri, quamquam ad id paráto esset ánimo, prohíbitus est.

℟. Iste homo perfécit ómnia, quæ locútus est ei Deus, & dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, & pervénit ad cæléstia regna. Quia te vidi justum. Glória Patri. Quia te.

In tertio Nocturno.

Léctio Sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vii. *Cap.* 5. b

IN illo témpore dixit Jesus Discípulis suis: Vos estis sal terræ. Quòd si sal evanúerit, in quo saliétur? Et réliqua.

Ho-

Homilía Sancti Augustini Episcopi.

Tract. in Epist. 1. Joann. in finem.

QUicúmque ergo sólverit unum ex mandátis istis mínimis, & docúerit sic hómines, mínimus vocábitur in Regno cælórũ. Quid est, sólverit? Quid est, docúerit? Sólvitur factis, & docétur verbis. Qui prædicas non furándum, furáris? Solvit ergo in facto, qui furátur; & quisquis docet sic, mínimus vocábitur in Regno cælórum, id est, in Ecclésia hujus témporis. Qui autem fécerit, & sic docúerit, magnus vocábitur in Regno cælórum. Ex eo quòd dixit hìc, fécerit, contra hoc ibi dixit, sólverit: id est, non fécerit, & docúerit sic. Ille ergo solvit, qui non facit.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, & de omni corde suo laudávit Dóminum: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, & pérmanens in innocéntia sua. Ipse intercédat.

Lectio viii.

PHarisæos cogitábat, cùm ista díceret, qui solvébant legem factis, & docébant verbis. De quibus álio loco dicit: Quæ dicunt, fácite: quæ autem fáciunt, fácere nolíte: dicunt enim, & non fáciunt. Proptéreà, & hìc ita séquitur: Dico enim vobis, nisi abundáverit justítia vestra plusquàm Scribárum, & Pharisæórum, non intrábitis in Regnum cælórum; id est, nisi vos fecéritis, quod illi non fáciunt, & sic docent, non intrábitis in Regnum cælórum. Quam ergo legem docébant Pharisæi, & non faciébant, ipsam dicit Christus non se venisse sólvere, sed adimplére: quia ipsa pértinet ad Cáthedram Moysi, in qua sedéntes Pharisæi, & docéntes, nec faciéntes, audiéndi sunt, non imitándi.

℟. In médio Ecclésiæ apéruit os ejus: * Et implévit eum Dóminus spíritu sapiéntiæ, & intelléctus. ℣. Jucunditátem, & exultatiónem thesaurizávit super eum. Et implévit. Gloria Patri. Et implévit.

Nona Lectio, & commemor. S. Sylverii, ut in Breviario.

In ii. Vesp. à Capit. de S. Aloysio Gonzaga.

DOMINICA ULTIMA JUNII.

Officium in Festo Puritatis B. Mariæ Virginis.

Ad Vesperas, Antiphona

Sicut

Sicut lilium inter spinas, *cum reliq. de Laudib. Psalmi consueti de S. Maria, ut in ejus Officio parvo.*

Capitulum. *Sap.* 4.

O Quàm pulchra est casta generátio cum claritáte! Immortális est enim memória illíus, quóniam apud Deum nota est, & apud hómines.

Hymnus.

PRæclára Custos Vírginum,
Intácta Mater Núminis,
Cæléstis aulæ jánua,
Spes nostra, Cæli gáudium.

Inter rubéta lilium,
Colúmba formosíssima,
Virgo è radíce gérminans
Nostro medélam vúlneri.

Turris Dracóni impérvia,
Amica stella náufragis,
Tuére nos à fráudibus,
Tuáque luce dirige.

Erróris umbras díscute,
Syrtes dolósas ámove,
Fluctus tot inter, déviis
Tutam reclúde sémitam.

Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre, & almo Spíritu,
In sempitérna sæcula Amen.

℣. Cum jucunditáte Virginitátem Beátæ Maríæ semper Vírginis celebrémus.

℟. Ut ipsa pro nobis intercédat ad Dóminum Jesum Christum.

Ad Magnificat, Antiphona.

Nihil inquinátum in eam incúrrit: candor est lucis ætérnæ, & spéculum sine mácula.

Oratio.

DA, quæsumus, omnípotens, ætérne Deus, ut puríssimæ Vírginis Maríæ integérrimam Virginitátem festíva celebritáte venerántes; ejus intercessióne puritátem mentis, & córporis consequámur. Per Dóminum nostrum.

Ad Matutinum, Invitator.

Virginitátem Deiparæ celebrémus: * Christum ejus Filium adorémus Dóminum.

Psalm. Venite, exultémus.

Hymnus.

O' Stella Jacob fúlgida,
O' Solis instar spléndida
Auróra, qua nil púrius
Refúlget inter sídera.

Stolis amíctæ cándidis
Tibi catérvæ Cælitum
Plaudunt, sacræque Vírgines
Laudes perénnes cóncinunt.

Quin obsequéntes ófferunt
Ligústra, & alba lilia:
Candor sed horum víncitur
Candóre casti péctoris.

Nostra Angelórum láudibus
Adjécta tellus ássonans,
Ad astra voces éfferat,
Et Vírginis præcónia.

Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre, & almo Spíritu
In

In sempitérna sæcula. Amé.

Antiphonæ, & Psalm. Nocturn. ut in Officio parvo.

In secundo Nocturno.

℣. Venérunt mihi ómnia bona páriter cum illa.

℟. Et innumerábilis honéstas per manus illíus.

De Cánticis Canticórum.

Lectio i. Cap. 2.

EGo flos campi, & lílium convállium. Sicut lilium inter spinas, sic amíca mea inter fílias. Sicut malus inter ligna silvárum, sic diléctus meus inter filios. Sub umbra illíus, quem desideráveram, sedi, & fructus ejus dulcis gútturi meo. Introdúxit me in cellam vináriam, ordinávit in me charitátem. Fulcíte me flóribus, stipáte me malis, quia amóre lángueo. Læva ejus sub cápite meo, & déxtera illíus amplexábitur me. Adjúro vos, fíliæ Jerúsalem, per cápreas, cérvosque campórum, ne suscitétis, neque evigiláre faciátis diléctam, quoadúsque ipsa velit. Vox dilécti mei, ecce iste venit sáliens in móntibus, transíliens colles. Símilis est diléctus meus cápreæ, hinnulóque cervórum. En ipse stat post parietem nostrum, respíciens per fenéstras, prospíciens per cancéllos. En diléctus meus lóquitur mihi: Surge, própera, amíca mea, colúmba mea, formósa mea, & veni.

℟. Diléctus meus mihi, & ego illi, qui páscitur inter lília, * Pulchra es, amíca mea, suávis, & decóra sicut Jerúsalem, terríbilis ut castrórum ácies ordináta. ℣. Una est colúmba mea, perfécta mea. Vidérunt eam fíliæ Sion, & beatíssimam prædicavérunt. Pulchra.

Lectio ii. Cantic. c. 4.

QUàm pulchra es, amíca mea, quàm pulchra es! Oculi tui columbárum, absque eo, quod intrínsecùs latet; capilli tui sicut greges caprárum, quæ ascendérunt de monte Gálaad; dentes tui sicut greges tonsárum, quæ ascendérunt de lavácro, omnes geméllis fœtibus, & stérilis non est inter eas. Sicut vitta coccínea lábia tua, & elóquium tuum dulce. Sicut fragmen mali púnici, ita genæ tuæ. Sicut turris David collum tuum, quæ ædificáta est cum propugnáculis; mille clypei pendent ex ea, omnis armatúra fórtium. Duo úbera tua sicut duo hínnuli cápreæ gemélli, qui pascúntur in líliis: donec aspíret dies, & inclinéntur umbræ, vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris. Tota pulchra es, amíca mea, & mácula non est in te.

℟.

℞. Surge, própera, amíca mea, colúmba mea, formósa mea, & veni: * Jam hiems tránsiit, imber ábiit, & recéssit. Flores apparuérunt in terra nostra. ℣. Surgam, & circuíbo civitátem, per vicos, & platéas quæram quem diligit ánima mea. Jam hiems.

Lectio iii. *Eod. c.* 4.

VEni de Líbano sponsa mea, veni de Líbano, veni: coronáberis de cápite Amána, de vértice Sanir, & Hermon, de cubílibus leónum, de móntibus pardórum. Vulnerásti cor meum, soror mea sponsa, vulnerásti cor meum in uno oculórum tuórum, in uno crine colli tui. Quàm pulchræ sunt mammæ tuæ, soror mea sponsa! Pulchrióra sunt úbera tua vino, & odor unguentórum tuórum super ómnia arómata. Favus distillans lábia tua, sponsa, mel, & lac sub lingua tua: & odor vestimentórum tuórum sicut odor thuris. Hortus conclúsus, soror mea sponsa, hortus conclúsus, fons signátus.

℞. Adjúro vos, filiæ Jerúsalem, si invenéritis diléctum meum, ut nuntiétis ei, quia amóre lángueo: * Qualis est diléctus tuus, ó pulchérrima mulierum. ℣. Diléctus meus cándidus, & rubicúndus, eléctus ex míllibus. Talis est diléctus meus, ipse est amícus meus, filiæ Jerúsalem. Qualis est diléctus. Glória Patri. Qualis.

In secundo Nocturno.

℣. Post partum, Virgo invioláta permansísti.

℞. Dei Génitrix intercéde pro nobis.

Ex Libro Sancti Ambrósii Epíscopi de Virgínibus.

Lib. 2. post init. *Lectio iv.*

SIt vobis tamquam in imágine descrípta Virgínitas, vitaque Beátæ Maríæ, de qua velut in spéculo, refúlget spécies castitátis, & forma virtútis. Hinc sumátis licet exémpla vivéndi, ubi tamquam in exemplári, magistéria expréssa probitátis, quid corrígere, quid effúgere, quid tenére debeátis osténdunt. Primus discéndi ardor nobílitas est magístri. Quid nobílius Dei Matre? Quid splendídius ea, quam splendor elégit. Quid cástius ea, quæ corpus sine córporis contagióne generávit?

℞. Beatíssima Virgo María hortus conclúsus, fons signátus, Regína Angelórum, Dómina mundi, * Per quam Deus descéndit in terras, ut hómines ascéndere mereréntur ad cælos. ℣. Ad te clamámus éxules filii Evæ: recordáre nostri Sanctíssima Virgo. Per quam Deus.

Lectio v.

DE cæteris ejus virtútibus quid loquar? Virgo erat, non solùm córpore, sed étiam mente, quæ nullo doli ámbitu sincérum adulteráret afféctum. Corde húmilis, verbis gravis, ánimi prudens, loquéndi párcior, legéndi studiósior, non in incérto divitiárum, sed in prece páuperis spem repónens, inténta óperi, verecúnda sermóne, árbitrum mentis sólita, non hóminem, sed Deum quærere; nullum lædere, benè velle ómnibus, fúgere jactántiam, ratiónem sequi, amáre virtútem.

℟. Beáta María tantæ éxtitit puritátis, ut Mater Dómini esse mererétur.* Deus, quam elégerat, creávit, de qua crearétur, elégit. ℣. Ipsa est stella ex Jacob, cujus rádius univérsum orbem illúminat. Deus, quam elégerat.

Ex S. Petro Chrysologo.

Serm. 143. *Lectio vi.*

HÆc dedit cælis glóriam, terris Deum, fidem géntibus, finem vitiis, vitæ órdinem, móribus disciplína. Grátiam, quam détulit Angelus, accépit Virgo, salútem sǽculis reditúra. Verè benedícta Virgo, quæ & virginitátis póssidet decus, & Matris dignitátem. Verè benedícta, quæ & supérni concéptus méruit grátiam, & servávit integritátis corónam. Verè benedícta, quæ & divíni gérminis suscépit glóriam, & Regína éxtitit totíus castitátis.

℟. Quómodo fiet istud, quóniam virum non cognósco? Spíritus Sanctus supervéniet in te: * Virtus Altíssimi obumbrábit tibi, ideóque * Quod nascétur ex te Sanctum, vocábitur Filius Dei. ℣. Dixit autem María: Ecce ancílla Dómini, fiat mihi secúndùm verbum tuum. Virtus Altíssimi. Glória Patri. Quod nascétur ex te.

In tertio Nocturno.

℣. Invenísti grátiam apud Deum.

℟. Sancta Dei Génitrix, Virgo immaculáta.

Léctio Sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Lectio vii. *Cap.* 1.

IN illo témpore: Missus est Angelus Gábriel à Deo in Civitátem Galilææ, cui nomen Názareth, ad Vírginem desponsátam viro. Et réliqua.

Homilía Sancti Bernárdi Abbátis.

Homil. 2. *super Missus est.*

NOvum cánticum illud, quod solis dábitur in regno Dei cantáre Virgínibus, ipsam Vírginum Regínam,

nam, imò primam inter cæteras esse cantatúram, nemo est, qui ámbigat. Puto autem illam, præter illud, quod solis licet, cum ómnibus tamen Virgínibus ei, ut dixi, commúne erit, dulcióri quodam, atque elegantióri cármine lætificatúram esse Civitátem Dei. Hujus ítaque dulcisonos deprómere, vel exprímere módulos, ne ipsárum quidem Vírginum ulla digna inveniétur: quia méritò decantándum servábitur illi, quæ sola de partu, & de partu divíno gloriátur. Gloriátur, dixi, de partu, non in se, sed id ipso, quem péperit. Deus síquidem (Deus enim est) quem péperit, & qui Matrem suam in cæléstibus donatúrus glória singulári, in terris prævenire curávit & grátia, qua vidélicet ineffabíliter, & intácta concíperet, & páreret incorrúpta.

℟. Egrediétur virga de radíce Jesse, & flos de radíce ejus ascéndet. * Ecce Virgo concípiet, & páriet Fílium, & vocábitur nomen ejus Emmánuel. ℣. Joseph, Fili David, noli timére accípere Maríam cõjugem tuam, quod enim in ea natum est, de Spíritu Sancto est. Ecce Virgo.

Lectio viii.

DEum hujúsmodi decébat nativitas, qua non nisi de Vírgine nasceréctur. Talis congruébat & Vírgini partus, ut non páreret, nisi Deum. Proínde Factor hóminum, ut homo fieret nascitúrus de hómine, talem sibi ex ómnibus débuit delígere, imò cóndere Matrem, qualem & se decére sciébat, & sibi nóverat placitúram. Vóluit ítaque esse Vírginem, de qua immaculáta immaculátus procéderet, ómnium máculas purgatúrus. Vóluit & húmilem, de qua mitis, & húmilis corde prodíret, harum se virtútum necessárium ómnibus, salubérrimumque exémplum ostensúrus. Dedit Vírgini partum, qui ei jam antè & virginitátis inspeáverat votũ, & humilitátis prærogáverat méritum. Ut ígitur, quæ sanctum Sanctórum concéptúra erat páriter, & paritúra, Sancta esset córpore, accépit donum Virginitátis: ut esset & mente, accépit donum humilitátis.

℟. Beáta Dei Génitrix María, templum Dómini, Sacrárium Spíritus Sancti: * Sola sine exémplo placuísti Dómino nostro Jesu Christo. ℣. Genuísti, qui te fecit, & in ætérnum pérmanes Virgo. Sola. Glória Patri. Sola.

Lectio ix.

O' Admirábilem, & omni honóre digníssimam Vir-

Virginem. O' Fœminam singuláriter venerándam, super omnes fœminas admirábilem, Paréntum reparatrícem, posterórum vivificatrícem. Missus est Angelus ad Virginem, Virginem carne, Virginem mente, Virginem professióne, Virginem dénique, qualem describit Apóstolus mente, & córpore sanctam. Nec nóviter, nec fortúitò invéntam, sed à sæculo eléctam, ab Altissimo præcógnitam, & sibi præparátam ab Angelis servátam, à Pátribus præfigurátam, à Prophétis promissam.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES,

& per Horas, Antiph.

SIcut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.

Psalm. Dóminus regnávit, *cum reliq. de Dominica.*

Antiph. Diléctus meus mihi, & ego illi, qui páscitur inter lilia.

Antiph. Quàm pulchra es, amica mea, quàm pulchra es!

Antiph. Una est colúmba mea, perfécta mea.

Antiph. Vidérunt eam filiæ Sion, & beatissimam prædicavérunt.

Capitulum. *Sap. c. 4.*

O' Quàm pulchra est casta generátio cum claritáte! Immortális est enim memória illius, quóniam apud Deum nota est, & apud hómines.

Hymnus. O' gloriosa, *ut in Officio parvo B. M. Virg.*

℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua.

℟. Inténde, prósperè procéde, & regna.

Ad Benedictus, Antiphona. Sancta, & immaculáta Maríæ Virgínitas, quibus te láudibus éfferam nescio: quia per te Redemptórem nostrum suscépimus Dóminum nostrum Jesum Christum.

Oratio.

DA, quæsumus, omnípotens, ætérne Deus: ut puríssimæ Vírginis Maríæ integérrimam Virginitátem festiva celebritáte venerántes; ejus intercessióne puritátem mentis, & córporis consequámur. Per Dóminum nostrum.

Ad Hor. Antiph. & Oratio, ut in Laud. reliq. ut in Officio B. Mariæ in Sabbatho.

In Hymn. Jesu tibi, &c.

In secundis Vesperis omnia ut in primis.

Ad Magnificat, Antiphona. Beáta Dei Génitrix María, Virgo perpétua, Sacrárium Spíritus Sancti, sola sine exémplo placuísti Dómino nostro Jesu Christo.

FE-

FESTA JULII.

DIE IV. JULII.

In Festo S. Elisabeth Viduæ Reg. Portug. duplex ii. classis cum Oct.

Omnia dicuntur, ut in Breviario die 8. Julii sine ulla commemor. præterquam in secundis Vesperis, in quibus fit commem. oct. Apostolorum Petri, & Pauli.

DIE V. JULII.

Fit tantùm commem. oct. S. Elisabeth, Antiph., Oratio, & ℣. ut in ejus Festo.

DIE VI. JULII.

Fit de oct. Ss. Apostolor. cum commem. S. Elisabeth. Vesp. dicuntur de S. Pulcheria Virg. cum commem. diei oct. Ss. Apostol. & S. Elisabeth.

DIE VII. JULII.

In Festo S. Pulcheriæ Virg. Imper. duplex maius.

Omnia de Communi Virg. exceptis his, quæ hic habentur propria.

Oratio.

DEus, qui Beátam Pulchériam Vírginem tuam singulári castitátis prærogativa decorásti, quique illi ad defendéndam Ecclésiam tuam summum fidei amórem tribúere voluísti: concéde, ut ejus intercessióne tibi puris méntibus inhæréntes ab ómnium hóstium insídiis misericórditer liberémur. Per Dóminum nostrum.

In i. Noct. Lect. de Epist. prima Sancti Pauli Apostoli. De Virgínibus, *ut in Communi Virginum.*

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

ÆLia Pulchéria Augústa, Patre, Avo, Fratre, atque Viro Romanórum Imperatóribus máximè nóbilis, profligátis sua præsértim ópera Hæreticórum erróribus, & Cathólico Dógmate circa Incarnatiónis Mystérium, & Divinam Maternitátem constitúto, multò nobílior ab ipsa pueritia tanta sapiéntia divinitùs prædita fuit, ut ii, quibus post Arcádii patris óbitum Impérii procurátio, dum Theodósius adolésceret, commíssa fúerat, ejus arbitrátu ómnia fácerent, esfétque constans opínio, unius puéllulæ virtúte, ac sapiéntia, quæ instáre, atque ingrúere videbántur, pericula discússa, & felicitátem Império constitútam. Domi assídua disciplinæ exáctrix eam vivéndi formam indúxit, ut illa jam non Aula Imperatórum, sed Ascetérium vulgò dicerétur. Theodósium fratrem,

trem, Eudóxiam, quam illi matrimónio conjungéndam curávit, Flaccíllam, Arcadiam, Marínam sorores ita imbuébat bonis móribus, exercébatque ad virtútem, ut quibus ætáte non multùm præstábat, eórum moderátrix, ac propémodùm mater esse viderétur. Qua institutióne Soróres quantum profécerint, vel ex hoc uno intélligi potest, quòd Pulchériam imitátæ, se, suámque virginitátem Deo devovérunt; utque Augústa Virgo ea, quæ decréverat, ámpliùs confirmáret, omnésque voluntátis suæ testes habéret, ex auro, & pretiósis lapídibus Sacram Mensam in Ecclésia Constantinopolitána pro virginitáte sua, & Fratris Império dedicávit; & in fronte ipsíus mensæ hæc eádem inscripsit.

℟. Propter veritátem, & mansuetúdinem, & justítiam: * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua, inténde, prósperè procéde, & regna. Et dedúcet.

Lectio v.

Potior autem ejus in Theodósio instituéndo elúxit cura, eúmque, ubi opus esset, mira quadam dexteritáte corrigébat: qui quidem talis est effé ctus, ut absolutíssimum óptimi, veréque Christiáni Príncipis exémplar fúerit, dum Pulchériæ consíliis est obsequútus. Post diutúrnam cum fratre concórdiam, turbis malevolórum fraude, atque obtrectatióne in aula excitátis tempus nacta, quo sibi jam uni, Deóque vacare posset, secéssit in Hebdómum, locum Bysántio suburbánum, ibíque vitam agens penè monásticam, aliquámdiù se contínuit; cùm verò felícitas Impérii unà cum ea exuláret, à fratre accersíta, ubi deésse vidit, qui prælia Dómini pugnáret, Déboram imitáta, fide, ac Religióne armáta procéssit, & missis in omnem partem epístolis hortándo, monéndo, minitándo, non pecúniæ, non labóribus parcens, digna effécta est, quam Patres Concilii Chalcedonénsis unà ómnium voce, atque præcónio Custódem Fidei, pacis Conciliatrícem, Expultrícem Hæreticórum, Piam, Orthodóxam, novam Hélenam (sicut Marciánum tunc Imperatórem novum Constantinum) consalutárent; cuique Sanctus Leo totius Románæ Ecclésiæ nómine plúrimùm gratularétur, ejúsque causa exultáre se dicéret, ac digna Deo vota persólvere, quòd de Nestoriána primùm impietáte, mox de ne-

nefário Eutychétis erróre perémpto dúplicem illi & palmam contúlerat, & corónam.

℟. Dilexísti justítiam, & odísti iniquitátem: * Proptéreà unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, & mansuetúdinem, & justítiam. Proptéreà.

Lectio vi.

Atque hæ tantæ curárum moles, quas præsértim in Ephesino, ac Chalcedonénsi Concíliis Romanórum, Pontificum auctoritáte convocátis necessárió suscéperat, níhilo illam ad cætera Christiánæ pietátis officia obeúnda fácere segniórem. Assíduè cæléstium rerum contemplatióne, Sacrórum Librórum lectióne, córporis afflictatiónibus spontè suscéptis se exercébat. Psalmos de nocte surgens unà cum Régiæ famíliæ Princípibus decantábat; Dei, ac Sanctórum (quorum, & collóquio non semel dignáta est) cultrix exímia, quæ étiam summópere semper conténdit, ut erga eórum Relíquias cultus augerétur. Deíparam in primis cóluit, cui hunc ipsam Deíparæ appellatiónem contra Nestorianórum blasphémias asséruit; vóluit namque summa sapiéntiæ suæ dispositióne Divína providéntia, ut per Vírginem summa Vírginis dignitas inoffénsa pénitùs servarétur: quam étiam est imitáta, servándo perpétuam in ipso conjúgio Virginitátem, cujus dénique cúltui amplificánda complúra templa regáli planè magnificéntia excitávit, donáriis auxit, redítibus locupletávit. In placánda Divína Justítia mira pietáte enítuit. Fuit erga páuperes misericórdia planè singulári, quos & matérna quadam charitáte compléxa est, quoad vixit, & móriens eórum, quæ assídua effusíssimaque liberálitas réliqua fécerat, scripsit hærédes. Quod cautum ab ipsa testaménto fuit, diligénter curávit Marciánus, quem pari Religiónis stúdio, rebúsque ómnibus Império digníssimum, ipsa evéxerat ad Impérium; sibíque hanc ipsam ob causam, salva, quam Deo vóverat, virginitáte, cónjugem delégerat. Obiit anno quadringentésimo quinquagésimo tértio, magno ómnium luctu, maximísque Sanctórum Patrum, ceterorúmque ejus ævi Scriptórum láudibus celebráta.

℟. Afferéntur Regi vírgines post eam, próximæ ejus: * Afferéntur tibi in lætítia

&

& exultatióne. ℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua, inténde, prósperè procéde, & regna. Afferéntur. Glória Patri. Afferéntur.

In tertio Nocturno.

Léctio Sancti Evangélii secúndùm Joánnem.

Lectio vii. *Cap.* 17. 3.

IN illo témpore: Dixit Jesus: Hæc est autem vita ætérna, ut cognóscant te solum Deum verum, & quem misísti Jesum Christum. Et réliqua.

Homilía Sancti Cyrílli Epíscopi Alexandríni.

De Fide ad Pulcheriam, & Sorores Reginas.

SAne vos sacras, castissimásque Christi ómnium nostrum Salvatóris sponsas, religiosíssimæ, ac Deo dilectíssimæ Imperatrices, orbis terrárum ornaméntum, sanctissimárumque Ecclesiárum decus óptimo jure quisquis appelláverit, in quibus nimírum omne virtútum genus, omnísque ornátus Divínæ Majestátis óculis gratus, accéptusque mirificè splendet. Neque his ópibus conténtæ, omnem quoque curam ómneque stúdium adhibétis, quo fide recta, nullámque in partem vacillánte, excellátis. Neque Christi Regnum capéssere, & ea, quæ illi grata sunt, fácere, & sentíre omittitis; partim quidem præcláris actiónibus: partim rursum cùm vestras, tùm Principum quoque vestrórum aulas Virginitátis glória condecorántes; partim dénique sumptuosissima Templa Christo Dómino excitántes, nam & hoc quoque pietátis stúdium inter cætera ille Sanctis vestris ánimis impertitus est.

℟. Hæc est virgo sápiens, quam Dóminus vigilántem invénit, quæ accéptis lampadibus, sumpsit secum óleum: * Et veniénte Dómino, introívit cum eo ad núptias. ℣. Média nocte clamor factus est, ecce Sponsus venit, exite óbviàm ei. Et veniénte Dómino.

Lectio viii.

IGitur ex sacris lítteris vobis verè Sanctis Christi Sponsis (quamquam ad quodvis opus bonum abúndè instrúctæ videámini) áliquid deprómam. Hinc étenim, & Emmanuélem verum, ac naturálem Deum, & Vírginem Matrem, quæ eum, péperit, veram per ipsum Deíparam esse planum fiet. Ait Christus: Hæc est vita ætérna, ut cognóscant te solum Deum verum, & quem misísti Jesum Christum. Si cum solíus verique Dei cognitióne Jesu Christi cognitiónem necessáriam, consociátamque esse opórtet,

tet, & hoc ipsum ætérnam vitam concíliat, cui obscúrum esse potest Christum verum esse Deum? Verbum sanè caro factum est, sed mansit ínterim Verbum.

℟. Média nocte clamor factus est: * Ecce Sponsus venit, exíte óbviam ei. ℣. Prudéntes vírgines aptáte vestras lámpades. Ecce. Glória Patri. Ecce.

Lectio ix.

ET ego claritátem, quam dedisti mihi, dedi eis; ut sint unum, sicut & nos unum sumus. Qualem itaque glóriam Fílius à Patre accepisse se narrat, quam nobis deinde commúnem fécerit? Sanè ipse ab hac quæstióne nos líberat, dum ait: Ut unum sint, sicut & nos unum sumus. Nam etsi Dei Patris Verbum secúndum própriam hypóstasim álius à Patre esse dignoscátur, naturáli tamen identitáte unum planè, & idem est cum illo. At quo pacto Verbum illud, unum quoque nobíscum factum est? Ad eúmdem omnino modum, puta secúndùm essentiálem, & naturálem identitátem. At cùm Divína natúra tanto à creatúra distet intervállo, ut secúndùm esséntiam cum ea coíre nequáquam váleat, ecquo, inquis, modo secúndùm natúram unum ille factus est nobíscum, qui omnem omninò creatûram excéllit? Verbum factus est homo, ut quemádmodùm in Deitáte unum, & idem est cum Patre, ita secúndùm natúræ humánæ habitúdinem sit unum quoque nobíscum.

Te Deum laudamus.

Fit commem. oct. S. Elisabeth, in Laud. & Vesp.

DIE VIII. JULII.

Quinta die infra octavam S. Elisabeth.

Omnia dicuntur sicut in Brev. de Sanct. Elisabeth 8. Julii, præter ea, quæ hic habentur.

In primo Noct. Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

De Sermóne Sancti Augustíni Epíscopi.

Unde suprà, cap. 4.

Lectio iv.

OPerátur viro suo bona, & non mala in omni témpore. In omni témpore operátur bonum, & non malum? nec sibi, sed viro, ut quæ vivit, jam sibi non vivat, sed ei, qui mórtuus est pro ómnibus, & resurréxit. Viro ergo operátur bonum, coram Deo operátur bonum: illi servit, illi devóta est; illum díligit, illi placére semper studet, & desíderat. Non se ornat, nec propter óculos

óculos suos, nec propter óculos aliénos. Non est de sibi placéntibus, non est de sua quæréntibus, operátur enim viro suo. Qui autem sibi operántur, omnes sua quærunt, non quæ Jesu Christi.

℟. Audi filia, & vide, & inclína aurem tuam, & oblivíscere pópulum tuum: & domum patris tui: * Et concupíscet Rex decórem tuum. ℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua, inténde, prósperè procéde, & regna. Et concupíscet.

Lectio v.

INvéniens lanam, & linum fecit útile mánibus suis. Lanificam, & linificam matrónam istam sanctus sermo descríbit. Quæritur autem à nobis quid sit lana, quid sit linum. Lanam carnále áliquid puto, linum spiritale: interióra sunt enim línea vestiménta, lánea exterióra. Quidquid carne operámur, in promptu est: quidquid spíritu, in secréto. Operári enim carne, & non operári spíritu, quamvis bonum videátur, útile non est: operári autem spíritu, & non operári carne pigrórum est. Invenis hóminem porrigéntem manum, vel eleemósynam páuperi, nec tamen de Deo cogitántem, sed homínibus placére cupiéntem: lánea vestis vidéri potest, interiórem líneam non habet. Invenis álium dicéntem: Sufficit mihi in consciéntia Deum cólere, quid mihi opus est visibíliter miscéri Christiánis? Líneam vult habére sine túnica: non novit, neque commméndat tália ópera mulíeris.

℟. Manum suam misit ad fórtia: * Manum suam apéruit ínopi, & palmas suas exténdit ad páuperem. ℣. Dispérsit, dedit paupéribus, justítia ejus manet in sæculum sæculi. Manum.

Lectio vi.

EXúrgit de nóctibus, & dedit escas dómui, & ópera ancíllis. Quid valent noctes? Non eam premunt, non eam in ténebris jacére cogunt. Noctes tribulatiónes sunt, sed cui hæc? Et de nóctibus consúrgit, & in tribulatiónibus próficit. Et dedit escas dómui; in nóctibus præbuit se imitándam: fáciens dócuit quod faciéndum dixit: & tunc dedit escas. Quis cómedat de nocte? Prorsus, & tunc dedit escas: quibus enim dedit, semper esúriunt. Beáti enim, qui esúriunt, & sítiunt justítiam, quia ipsi saturabúntur. A nocte spíritus meus vígilat ad te Deus. Hæc alimónia noctúrna abún-

búndat in domo mulieris hujus.

℟. Regnum mundi, & omnem ornátum sæculi contémpsit propter amórem Dómini mei Jesu Christi: * Quem vidi, quem amávi, in quem crédidi, quem diléxi. ℣. Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea Regi. Quem vidi. Glória Patri. Quem vidi.

In tertio Nocturno.

Léctio Sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vii. *Cap.* 13.

IN illo témpore: Dixit Jesus Discípulis suis parábolam hanc: Símile est Regnum Cælórũ thesáuro abscóndito in agro Et réliqua.

Homilía Sancti Joánnis Chrysóstomi.

Ex Homil. 48. *in Matth.*

PErpéndis, quómodo in mundo ábdita, atque celáta prædicátio est, & in prædicatióne summa felícitas recóndita? Nisi ergo cunctas res tuas venúndabis, non emes: nisi curiósè quæras, non invénies. Duo hæc quippe nobis ad salutem necessária sunt, sæculárium rerum contémptus, & jugis vigilántia. Quærébat enim bonas margarítas, & cùm invenisset unam pretiosíssimam, véndidit quæcúmque habébat, ac emit. Una quippe véritas est, nec in multas scinditur partes, ac véluti qui margarítam habet, novit se dívitem esse, sic & in prædicatióne veritátis, qui ei adhærent, opuléntos se non ignórant.

℟. Os suum apéruit sapiéntiæ, & lex cleméntiæ in lingua ejus: considerávit sémitas domus suæ:* Et loquebátur de testimóniis Dómini. ℣. Gustávit, & vidit quia bona est negotiátio ejus: non extinguétur in nocte lucérna ejus. Et loquebátur.

Lectio viii.

DEinde, ne confidámus plúrimum, quóniam Evangélium suscépimus, neque opinémur sufficere solum nobis fidem ad salútem: horróris plenam affert parábolam. Símile est, inquit, Regnum Cælórum sagénæ missæ in mare, & cætera. Hanc autem parábolam non interrogátus, sed sponte, atque a seipso ex parte interpretátur, & formidinem magis amplíficat Nam ne, cùm advértis pútrida foras ejécta esse, nullum autem parvum ejectiónis perículum credas, interpretándo subjúnxit: Quia in fornácem immittet: & stridóre déntium, dolóris magnitúdinem expréssit. Animadvértis, quot perditiónis viæ?

℟. Invocávi, & venit in

me

me spíritus sapiéntiæ, & præpósui illam regnis & sédibus: * Et divítias nihil esse duxi in comparatióne illíus. ℣. Mélior est enim sapiéntia cunctis ópibus pretiosíssimis. Et divítias. Glória Patri. Et divítias.

Lectio ix.

Ut si ipse, in quo illa compléntur, & manifestántur, per parábolas adhunc lóquitur, donec ejus pássio velum discindat, ut nihil sit occúltum, quod non revelétur; multò magis illa, quæ ad commendándam tantam ejus salútem, tam longè de illo scripta sunt, parábolis opérta esse novérimus: quæ cùm Judæi ad litteram acciperent, noluérunt esse docti in Regno Cælórum, neque transire ad Christum, ut auferrétur velámen, quod supra cor eórum pósitum est.

Te Deum laudámus.

DIE IX. JULII.

Sexta die infra octavam S. Elisabeth.

In primo Nocturn. Lectiones de Scriptura occur.

In secundo Nocturno.

De Sermóne Sancti Augustini Epíscopi.

Unde suprà Cap. 7. *Lectio iv.*

Prospíciens agrum mercáta est. Prospíciens, non in præsénti, sed in futúro, mercáta est agrum istum. Prospíciens fide, spe: inde & de nóctibus surgit. Si enim quod non vidémus, sperámus, per patiéntiam expectámus. In ómnibus tribulatiónem pátiens; próspicit enim agrum, quem mercátur. Inde enim múlier fortis dícitur: Quid sunt noctes illæ præ agro illo? Quod enim præsens temporále est, & leve tribulatiónis nostræ (cùm de nóctibus súrgimus) in incredíbilem modum ætérnum glóriæ pondus operátur in nobis (cor habéntibus ad agrum illum) non respiciéntibus quæ vidéntur, sed quæ non vidéntur. Qualis est ager ille? Quæ pulchritúdo ejus est? Inardescámus ad eum possidéndum. Putámus, non ipse est, de quo dixit Deus, & spécies agri mecum est?

℟. Audi filia. 51.

Lectio v.

Unde mercáta est? Ne fortè tu despéres, & suspíres, & nihil agas. Ager iste segnem amatórem non amat. Ibi certè, cùm ad eum véneris, fórsitan requiésces, nec opus erit ut labóres. Non enim est talis ager ille, qualis iste, ubi Adam in sudóre vultus sui cómedit panem suum. Modò tamen, ut ad illíus agri spéciem pervénias, cómpara tibi, unde compares agrum ibi. Quid? cúl-

cóllige prétium, hoc enim agit hæc múlier. Vide, si tácitum est, cui dictum est, prospiciens agrum mercáta est; tamquam díceres: Unde mercáta est? De frúctibus mánuum suárum plantávit possessiónem: illam enim possessiónem dixit, quæ futúra est. Hoc insínuat verbo, quod ait, prospíciens.

℟. Manum suam misit ad fórtia. 51.

Lectio vi.

Succíncta fórtiter lumbos suos firmávit bráchia sua. Verè fortis, quàm devótè servit, quàm parátè. Ne fluitántes sinus carnálium concupiscentiárum impédiant operántem, succíngit lumbos, ut nihil supérfluum calcet, dum in ópere festínat. Ibi enim cástitas mulíeris hujus, zona præcépti constrícta, & ad omne opus bonum semper paráta. Unde hoc? Gustávit, quia bonum est operári. Ubi est palátum, quo gustátur hoc? Fúgiunt hómines labórem, quasi amárum, timéndo gustáre, nésciunt quid amáre. Bonum opus facit consciéntia bona; & quid dúlcius, fratres, consciéntia bona?

℟. Regnum mundi, & omnem ornátum. 52.

In tertio Nocturno.

Léctio Sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vii. *Cap.* 13.

In illo témpore: Dixit Jesus Discípulis suis parábolam hanc: Símile est Regnum Cælórum thesáuro abscóndito in agro. Et réliqua.

De Homilia Sancti Joánnis Chrysóstomi.

Unde suprà.

Vides quómodo vetus Testaméntum non éjicit, sed láudibus effert, & thesáurum appéllat. Quare qui divinárum scripturárum imperíti sunt, non erunt hi certè patres-famílias, qui cùm nec à se ipsis habent; quærere indígnum putant, sed negligénter vivéndo inédia depéreunt. Non autem hi solùm, verùm étiam hærétici expértes sunt hujus beatificatiónis, quia non possunt emíttere nova, & vétera: nam, cùm vétera non téneant, nova crédere non possunt: sicut è contrà, qui nova non habent, hi vetéribus pénitus carent.

℟. Os suum apéruit sapiéntiæ. 52.

Lectio viii.

Hæc enim inter se mágno juncta, & connéxa vínculo sunt. Audiámus igitur, audiámus quicúmque scripturárum lectiónem

nem neglígimus, quantum damnum, quantam inópiam patiámur. Et opulénti quidem, qui cupiditáte pecuniárum insániunt, assíduè vestes suas, ne tíneis corrodántur, excútiunt: tu verò cùm oblívio, ómnibus tíneis peior, ac maior pestis, ánimam tuam dévoret, non accédes ad libros, non excúties tíneas, non ordinábis ánimam tuam, non aspícies contínuè imáginem virtútis, nec membra ejus, & caput considerábis?

℟. Invocávi, & venit. 53.

Lectio ix.

HAbet enim certè caput, & membra omni muliere formósa multò ac venustióra, ac pulchrióra. Quod igitur caput virtútis est? Humílitas certè: quapropter ab ipsa incépit Christus dicens: Beáti páuperes spíritu. Hoc caput, & si nec cæsáriem, nec crines hábeat, sic tamen pulchrum est, ut Deum ad seipsum áttrahat. Hæc & ália quoque membra, magnam vim formositátis effúndunt: nec, si mille commísceas colóres, talem spéciem confícies.

Te Deum laudámus.

DIE X. JULII.

Septima die infra octavam S. Elisabeth.

Fit de Sanctis Septem Fratribus Martyr. cum oct.

Vesp. diei octav. dupl. ut in primis Vesp. festi cum commem. antec. & S. Pii.

DIE XI. JULII.

Octav. S. Elisabeth, dupl.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occur.

In secundo Nocturno.

De Sermóne Sancti Augustini Epíscopi.

Unde suprà. Cap. 22.

Lectio iv.

DUplícia pállia fecit viro suo. Jam acclamátis: credo, quòd agnóscitis, quæ sunt duplícia pállia. Laudes sunt, laudes fidei, laudes confessiónis, laudes prædicatiónis. Quare duplícia? Christum laudas, Deum laudas, & hóminem. Duplíciter lauda, simplíciter lauda. Duplíciter, quia homo est, & Deus: simplíciter, ut non sis fictus. Confitére Deum, confitére hóminem: lauda Deum in hómine, lauda hóminem in Deo. Téxuit pretiosíssimum illud pállium laudis: In princípio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: hoc erat in princípio apud Deum. Téxuit & áliud pállium, propter conversatiónem inter hómines quotidiánam: Verbum caro factum est, & habitávit in nobis.

℟.

℟. Audi filia. 51.

Lectio v.

HIc ergo ista laborióſa, vigilans, ſolícita, ſevérè caſtigans domum ſuam, ſurgens de nóctibus intuens lucérnam, ne extinguátur, in tribulatióne fortis, nondum recéptis promiſſis pavens, bráchia ſua in fuſum confirmans, non pigrum panem mandúcans. Ob labóres iſtos quaſi paupertátis, & neceſſitátis ſæculáris, quid erit, quia in diébus noviſſimis lætáta eſt? Quid erit? Audíte, propter quam ſpem árdeat lucérna noſtra tota nocte, nunc audíte: ſurrexérunt filii ejus, & ditáti ſunt. Modò in paupertáte vívimus, in paupertáte vigilámus; & cùm mórimur, in paupertáte dormímus: ſed ſurgémus, & ditábimur. Quæ illæ divítiæ ſunt Angelórum? Unam veſtem habent lucis, numquam téritur, numquam ſordidátur. Si filius es mulíeris hujus, atténde quando tibi divítiæ promittántur. Surrexérunt filii ejus, & ditáti ſunt, paráti reſurrectiónis divítias accípere. Noli has amáre, ut mereáris ad illas veníre.

℟. Manum ſuam. 51.

Lectio vi.

ET vir ejus laudávit eam. Multæ, inquit, filiæ fecérunt potentiam. Laudes ſunt, quibus eam laudat vir ejus. Quæ filiæ, quibus hæc comparátur? Non comparátur. Tu autem ſuperáſti. Atténdite ergo vos, jam in fine lectiónis ſumus. Multæ filiæ fecérunt poténtias, multæ locútæ ſunt linguis, ſciérunt ómnia ſacraménta, fecérunt virtútes multas, dæmónia excluſérunt, res ſuas paupéribus diſtribuérunt, córpora ſua ígnibus tradidérunt: inflátæ ſunt, quia charitátem non habuérunt. Tu autem ſuperáſti, & ſuperpoſuíſti omnes, non ſolùm flore, ſed & fructu grávida abúndans. Date illi de frúctibus mánuum ſuárum. Quid date? Veníte benedícti Patris mei. De quibus frúctibus mánuum ejus? Eſurívi enim, & dedíſtis mihi manducáre. Et quod illi deínde negótium erit, finitis labóribus? Et laudétur in portis vir ejus. Ipſe erit portus labórum noſtrórum, vidére Deum, laudáre Deum.

℟. Regnum mundi. 52.

In tertio Nocturno.

Léctio Sancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio vii. *Cap.* 13.

IN illo témpore: Dixit Jeſus Diſcípulis ſuis parábolam hanc: Símile eſt Regnū Cælórum theſáuro abſcóndito in agro. Et réliqua.

De

De Homilía Sancti Augustíni Epíscopi.

Quæst. ex Matth. quæst. 13.

QUæstio est, cur à número plurali ad singulárem transíerit, ut, cùm quærat homo bonas margaritas, unam invéniat pretiósam, quam vénditis ómnibus, quæ habet, emat. Aut ergo negotiátor iste bonos hómines quærens, cum quibus utíliter vivat, invenit unum præ ómnibus sine peccáto, mediatórem Dei, & hóminum hóminem Christum Jesum, aut præcépta justítiæ quærens, quibus servátis cum homínibus rectè conversétur, invenit dilectiónem próximi, in quo uno dixit Apóstolus ómnia continére.

℟. Os suum apéruit sapiéntiæ. 52.

Lectio viii.

AUt bonos intelléctus homo quærit, & invenit unum illum, quo cuncti continéntur. In princípio erat Verbum. Est enim Verbum Dómini lúcidum candóre veritátis, & sólidum firmitáte æternitátis, & úndique sui símile pulchritúdine divinitátis, qui Deus penetráta carnis testúdine intelligéndus est. Ille enim ad margarítam ipsam jam pervénerat, quæ in teguméntis mortalitátis, quasi conchárum obstáculo, inter profúnda hujus sæculi, atque inter durítias sáxeas Judæórum aliquándo latúerat, qui ait: Et si noverámus Christú secúndùm carnem, sed nunc jam non nóvimus.

℟. Invocávi, & venit. 53.

Lect. ix. de S. Pio Papa Martyr. & de eo fit commemor. in Laud.

Vesp. à Capit. S. Joanuis Gualberti, cum commemor. oct. & Ss. Nabor. &c.

DIE XV. JULII.

In Festo S. Camilli de Lellis Confessoris, duplex minus.

Omnia de Communi Confessoris non Pontif. præter sequentia.

Oratio.

DEus, qui Sanctum Camillum ad animárum in extrémo agóne luctántium subsídium singulári charitátis prærogativa decorásti: ejus, quæsumus méritis spíritum nobis tuæ dilectiónis infúnde; ut in hora éxitus nostri hostem víncere, & ad cæléstem mereámur corónam pervenire. Per Dóminum. In unitáte ejúsdem.

In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occur.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

CAmíllus Bucclánici Theatine Diœcésis óppido ex nóbili Lellíórum família natus

natus est, matre sexagenária, cui grávidæ visum est per quiétem, puérulum Crucis signo in péctore munítum, & ágmini puerórum idem signum gestántium præeúntem se peperísse. Adoléscens rem militárem secútus: sæculi vitiis aliquándiu indúlsit, donec vigésimum quintum agens ætátis annum tanto supérnæ grátiæ lúmine, divínæque offénsæ dolóre corréptus fuit, ut ubérrimo lacrymárum imbre íllicò perfúsus, anteáctæ vitæ sordes indesinénter abstérgere, novúmque indúere hóminem firmiter decréverit. Quare ipso, quo id cóntigit, Purificatiónis Beatíssimæ Vírginis festo die ad Fratres Minóres, quos Capuccínos vocant, cónvolans, ut eórum número adscriberétur, summis précibus exorávit. Voti semel atque iterum compos factus est, sed fœdo úlcere, quo aliquándo laboráverat, in ejus tibia iterátò recrudescénte, Divinæ providéntiæ majóra de eo disponénte consílio humíliter se subjécit, suique victor illíus Relígiónis bis expetítum, & suscéptum hábitum bis dimísit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, & custodívit eum ab inimícis, & à seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, & osténdit illi Regnū Dei. Et dedit illi.

Lectio v.

Romam proféctus, in Nosocómium, quod Insanabílium dícitur, recéptus est; cujus étiam administratiónem, ob perspéctas ejus virtútes sibi demandátam, summa integritáte, ac solicitúdine verè patérna, perégit. Omnium ægrórum servum se réputans, eórum stérnere léctulos, sordes térgere, ulcéribus medéri, agóniique extrémo piis précibus, & cohortatiónibus opem ferre solémne hábuit; quibus in munéribus præclára præbuit admirábilis patiéntiæ, invíctæ fortitúdinis, & heróicæ charitátis exémpla. Verùm cùm animárum in extrémis periclitántium, quod únice intendébat, levámini subsídium literárum plúrimùm conférre intellígeret, triginta duos annos natus in primis Grammáticæ eleméntis tyrocínium inter púeros íterum subire non erúbuit. Sacerdótio pósteà ritè initiátus nonnúllis sibi adjúnctis sóciis, prima jecit Congregatiónis Clericórum Regulárium infirmis Ministrántium fundaménta, írrito conátu obniténte humáni géneris hoste; nam Camillus cæ-

cæléſti voce è Chriſti crucifixi, manus étiam de ligno avúlſas admirándo prodígio protendéntis, Simulácro emíſſa mirabíliter confirmátus, Ordinem ſuum à Sede Apoſtólica approbári obtínuit, ſodálibus quarto obſtríctis máximè árduo voto, infirmis, quos étiam peſtis inféccerit, miniſtrándi. Quod inſtitútum, quam foret Deo accéptum, & animárum salúti proficuum, Sanctus Philíppus Nérius, qui Camíllo à Sacris Confeſſiónibus erat, comprobávit, dum ejus alúmnis decedéntium agóni opem feréntibus Angelos ſuggeréntes verba ſæpiùs ſe vidiſſe teſtátus eſt.

℟. Amávit eum Dóminus, & ornávit eum: ſtolam glóriæ induit eum.* Et ad portas Paradíſi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus loricam fidei, & ornávit eum. Et ad portas.

Lectio vi.

ARctióribus hiſce vínculis ægrotántium miniſtério mancipátus, mirum eſt, qua alacritáte, nullis fractus labóribus, nullis detérritus vitæ periculis, diu, noctúque ad ſuprémum uſque ſpíritum eórum cómmodis vigiláverit. Omnibus ómnia factus, viliſſima quæque officia dimiſsiſſimo obſéquio, flexiſque plerúmque génibus, véluti Chriſtum ipſum cérneret in infirmis, hilari, promptóque ánimo arripiébat; utque ómnium indigéntiis præſto eſſet, Generálem Ordinis præfectúram, Cælique delícias, quibus in contemplatióne defixus affluébat, ſpontè dimiſit. Patérnus verò illíus erga míſeros amor tum máximè effúlſit; cùm & Urbs contagióſo morbo primùm, deínde extréma annónæ laboráret inópia, & Nolæ in Campánia dira peſtis graſſarétur. Tanta dénique in Deum, & próximum charitáte exárſit, ut Angelus nuncupári, & Angelórum opem in vário itínerum diſcrímine experíri promererétur. Prophetíæ dono, & grátia ſanitátum præditus, arcána quoque córdium inſpéxit; ejúſque précibus nunc cibária multiplicáta ſunt, nunc aqua in vinum convérſa. Tandem vigíliis, jejúniis, & aſsíduis attritus labóribus, cùm pelle tantùm, & óſſibus conſtáre viderétur, quinque moléſtis æquè ac diútinis morbis, quos Miſericórdias Dómini appellábat, fórtiter tolerátis, Sacraméntis munítus, Romæ inter ſuaviſſima Jeſu, & Maríæ nómina, ad ea verba: Mitis, atque feſtívus Chriſti Jeſu tibi aſpéctus appá-

appáreat ; qua prædíxerat hora, obdormívit in Dómino prídie Idus Julii anno salútis millésimo sexcentésimo décimo quarto, ætátis suæ sexagésimo quinto, quem plúribus illústrem miráculis Benedíctus Décimus quartus Sanctis adscrípsit.

℟. Iste homo perfécit ómnia, quæ locútus est ei Deus, & dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus Géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, & pervénit ad cæléstia Regna. Quia te. Glória Patri. Quia te.

In tertio Nocturno.

Léctio Sancti Evangélii secúndùm Joánnem.

Lectio vii. *Cap.* 15.

IN illo témpore: Dixit Jesus Discípulis suis: Hoc est præcéptum meum, ut diligátis ínvicem, sicut diléxi vos. Et réliqua.

Homilía Sancti Augustíni Epíscopi.

Tract. 83. *in Joann. Evang.*

QUid putámus, fratres mei? Nunquidnam solùm ejus de ista dilectióne mandátum est, qua diligimus ínvicem? Nónnè est, & áliud maius, ut diligámus Deum? Aut vero de sola Deus nobis dilectióne mandávit, ut ália non requirámus? Tria certè commendat Apóstolus, dicens: Manent autem Fides, Spes, Cháritas, tria hæc: maior autem horum est Cháritas. Etsi in charitáte hoc est, in dilectióne concludúntur duo illa præcépta, maior tamen dicta est esse, non sola. De fide ígitur nobis quàm multa mandáta sunt, quàm multa de spe. Quis potest cuncta collígere, quis enumerándo sufficere? Sed intueámur quod ait idem Apóstolus: Plenitúdo legis cháritas.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, & de omni corde suo laudávit Dóminum: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, & pérmanens in innocéntia sua. Ipse intercédat pro peccátis.

Lectio viii.

UBi ergo cháritas est, quid est, quod possit deésse? Ubi autem non est, quid est, quod possit prodésse? Dæmon credit, nec diligit: nemo diligit, qui non credit. Frustra quidem, sed tamen potest speráre véniam, qui non diligit: nemo autem potest desperáre qui diligit. Itaque ubi diléctio est, ibi necessáriò fides, & spes: & ubi diléctio próximi,

mi, ibi necessáriò étiam diléctio Dei. Qui enim non diligit Deum, quómodo díligit próximum tamquam seipsum, quandóquidem non diligit & seipsum? Non est quippe ímpius, & iníquus; qui autem diligit iniquitátem: non planè diligit, sed odit ánimam suam.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, & lucérnæ ardéntes in mánibus vestris:* Et vos símiles homínibus expectántibus dóminum suum, quando revertátur à núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescitis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et vos símiles. Glória Patri. Et vos.

Lectio ix.

Hoc ergo præcéptum Dómini teneámus, ut nos invicem diligámus; & quidquid áliud præcépit, faciámus: quóniam quidquid est áliud, hic habémus. Discérnitur quippe ista diléctio ab illa dilectióne, qua se invicem díligunt hómines: nam ut discernerétur, adjúnctum est: Sicut diléxi vos. Ut quid enim díligit nos Christus, nisi ut regnáre possímus cum Christo? Ad hoc ergo & nos invicem diligámus, ut dilectiónem nostram discernámus à cæteris, qui non ad hoc se invicem díligunt, quia nec díligunt. Qui autem se propter habéndum Deum díligunt, ipsi se díligunt: ergo ut se díligant, Deum díligunt. Non est hæc diléctio in ómnibus homínibus: pauci se proptéreà díligunt, ut sit Deus ómnia in ómnibus.

Te Deum laudámus.

DOMINICA TERTIA JULII.

In Festo S. Angeli Custodis Regni, duplex secundæ classis.

Ad Vesperas, Antiphona. Angelum virtútis suæ emísit Dóminus ex Sion, qui liberávit civitátem nostram de médio inimicórum suórum.

Psalmus 109.

Dixit Dóminus Dómino meo: * Sede à dextris meis.

Donec ponam inimícos tuos, * scabéllũ pedum tuórũ.

Virgam virtútis tuæ emíttet Dóminus ex Sion: * domináre in médio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuæ in splendóribus Sanctórum: * ex útero ante lucíferum génui te.

Jurávit Dóminus, & non pœnitébit eum: * Tu es Sacérdos in ætérnum secúndùm órdinem Melchísedech.

Dóminus à dextris tuis, * confrégit in die iræ suæ Reges.

Judicábit in natiónibus, implébit ruinas: * conquassábit

ſábit cápita in terra multórum.

De torrénte in via bibet: * proptéreà exaltábit caput.

Antiph. Angelum virtútis ſuæ emíſit Dóminus ex Sion, qui liberávit civitátem noſtram de médio inimicórum ſuórum.

Antiph. Ecce non dormitábit, neque dórmiet, qui cuſtódit civitátem iſtam, quóniam ipſe eſt protéctio ſuper manum déxteram noſtram.

Pſalmus 120.

LEvávi óculos meos in montes, * unde véniet auxilium mihi.

Auxílium meum à Dómino, * qui fecit cælum, & terram.

Non det in commotiónem pedem tuum, * neque dormítet, qui cuſtódit te.

Ecce non dormitábit, neque dórmiet: * qui cuſtódit Iſrael.

Dóminus cuſtódit te, Dóminus protéctio tua: * ſuper manum déxteram tuam.

Per diem Sol non uret te, * neque Luna per noctem.

Dóminus cuſtódit te ab omni malo: * cuſtódiat ánimam tuam Dóminus.

Dóminus cuſtódiat intróitum tuum, & éxitum tuum, * ex hoc nunc, & uſque in ſæculum.

Antiph. Ecce non dormitábit, neque dórmiet, qui cuſtódit civitátem iſtam: quóniam ipſe eſt protéctio ſuper manum déxteram noſtram.

Antiph. Niſi Angelus Dómini cuſtodíerit civitátem noſtram, in vanum laboravérunt, qui cuſtódiunt eam.

Pſalmus 126.

NIſi Dóminus ædificáverit domum, * in vanum laboravérunt qui ædificant eam.

Niſi Dóminus cuſtodíerit civitátem, * fruſtrà vigilat qui cuſtódit eam.

Vanum eſt vobis ante lucem ſúrgere: * ſúrgite poſtquam ſedéritis, qui manducátis panem dolóris.

Cùm déderit diléctis ſuis ſomnum: * ecce hæréditas Dómini, filii; merces, fructus ventris.

Sicut ſagíttæ in manu poténtis: * ita filii excuſſórum.

Beátus vir, qui implévit deſidérium ſuum ex ipſis: * non confundétur cùm loquétur inimícis ſuis in porta.

Antiph. Niſi Angelus Dómini cuſtodíerit civitátem noſtram, in vanum laboravérunt, qui cuſtódiunt eam.

Antiph. In conſpéctu Angelórum pſallam tibi Deus meus, ut per eórum cuſtódiam ſuper iram inimicórum meórum exténdas manum tuam, & ſalvum me fáciat déxtera tua.

Pſal-

Psalmus 137.

Confitébor tibi Dómine in toto corde meo: * quóniam audísti verba oris mei.

In conspéctu Angelórum psallam tibi: * adorábo ad templum sanctum tuum, & confitébor nómini tuo.

Super misericórdia tua, & veritáte tua: * quóniam magnificásti super omne nomen sanctum tuum.

In quacúmque die invocávero te, exáudi me: * multiplicábis in ánima mea virtútem.

Confiteántur tibi Dómine omnes Reges terræ: * quia audiérunt ómnia verba oris tui.

Et cantent in viis Dómini: * quóniam magna est glória Dómini.

Quóniam excélsus Dóminus, & humília réspicit: * & alta à longè cognóscit.

Si ambulávero in médio tribulatiónis, vivificábis me: * & super iram inimicórum meórum extendísti manum tuam, & salvum me fecit déxtera tua.

Dóminus retribuet pro me: * Dómine misericórdia tua in sæculum: ópera mánuum tuárum ne despícias.

Antiph. In conspéctu Angelórum psallam tibi Deus meus, ut per eórum custódiam super iram inimicórum meórum exténdas manum tuam, & salvum me fáciat déxtera tua.

Antiph. Confortávit Dóminus seras portárum civitátis suæ, & pósuit Angelum ad pacem, & custódiam in fínibus ejus.

Psalmus 147.

Lauda Jerúsalem Dóminum: * lauda Deum tuum Sion.

Quóniam confortávit seras portárum tuárum: * benedíxit filiis tuis in te.

Qui pósuit fines tuos pacem: * & ádipe fruménti sátiat te.

Qui emíttit elóquium suum terræ: * velóciter currit sermo ejus.

Qui dat nivem sicut lanam: * nébulam sicut cínerem spargit.

Mittit crystállum suam sicut buccéllas: * ante fáciem frígoris ejus quis sustinébit?

Emíttet verbum suum, & liquefáciet ea: * flabit spíritus ejus, & fluent aquæ.

Qui annúntiat verbum suum Jacob: * justítias, & judícia sua Israel.

Non fecit táliter omni natióni: * & judícia sua non manifestávit eis.

Antiph. Confortávit Dóminus seras portárum civitátis suæ, & pósuit Angelum ad pacem, & custódiam in fínibus ejus.

Capitulum 4. Reg. 19.

HÆc dicit Dóminus de Rege Assyriórum: Non ingrediétur urbem hanc, nec mittet in eam sagíttam, nec occupábit eam clypeus, nec circúmdabit eam munítio.

Hymnus.

CUstódes hóminum psállimus Angelos,
Natúræ frágili quos Pater áddidit
Cæléstis cómites, insidiántibus
Ne sucúmberet hóstibus.
Nam quòd corrúerit próditor Angelus,
Concéssis méritò pulsus honóribus,
Ardens invídia, péllere nítitur
Quos cælo Deus ádvocat.
Hùc custos ígitur pérvigil ádvola,
Avértens pátria de tibi crédita
Tam morbos ánimi, quàm requiéscere,
Quidquid non sinit íncolas.
Sanctæ sit Tríadi laus pia júgiter,
Cujus perpétuo númine máchina,
Triplex hæc régitur, cujus in ómnia
Regnat glória sæcula. Amē.

℣. Angelis suis Deus mandávit de te.

℟. Ut custódiant te in ómnibus viis tuis.

Ad Magnificat, Antiphona. Super muros tuos Jerúsalem constítui custódes: tota die, & nocte non tacébunt laudáre nomen Dómini.

Oratio.

OMnípotens sempitérne Deus, qui ineffábili providéntia unicuique Regno singulárem Angelum ad custódiam deputásti: concéde quæsumus; ut Angeli Regni nostri Custódis précibus, & patrocíniis ab ómnibus semper eruámur advérsis. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

Et fit commemor. Dominicæ occurrentis.

Ad Matutinum, Invitator. Regem Angelórum Dóminum, * Veníte, adorémus.

Psalm. 94. Veníte, exultémus.

Hymnus. Custódes hóminū, *ut suprà in Vesperis.*

In primo Nocturno, Antiph. Dírige, Dómine, per Angelum tuum viam nostram, & scuto fortitúdinis tuæ prótege servos tuos.

Psalmus 5.

VErba mea áuribus pércipe Dómine, * intéllige clamórem meum.

Inténde voci oratiónis meæ, * Rex meus, & Deus meus.

Quóniam ad te orábo: * Dómine, manè exáudies vocem meam.

Manè

Manè astábo tibi, & vidébo: * quóniam non Deus volens iniquitátem tu es.

Neque habitabit juxta te malígnus: * neque permanébunt injústi ante óculos tuos.

Odísti omnes qui operántur iniquitátem: * perdes omnes, qui loquúntur mendácium.

Virum sánguinum, & dolósum abominabitur Dóminus: * ego autem in multitúdine misericórdiæ tuæ.

Introibo in domum tuam: * adorabo ad templum sanctum tuum in timóre tuo.

Dómine deduc me in justitia tua: * propter inimicos meos dírige in conspéctu tuo viam meam.

Quóniam non est in ore eórum véritas: * cor eórum vanum est.

Sepúlchrum patens est guttur eórum, linguis suis dolósè agébant, * júdica illos Deus.

Décidant à cogitatiónibus suis, secúndùm multitúdinem impietátum eórum expélle eos: * quóniam irritavérunt te, Dómine.

Et lætántur omnes, qui sperant in te, * in ætérnũ exultábunt: & habitábis in eis.

Et gloriabúntur in te omnes, qui díligunt nomen tuum, * quoniam tu benedíces justo.

Dómine, ut scuto bonæ voluntátis tuæ * coronásti nos.

Antiph. Dirige, Dómine, per Angelum tuum viam nostram, & scuto fortitúdinis tuæ prótege servos tuos.

Antiph. Minuisti Dómine hóminem pauló minùs ab Angelis; sed eórum custódia visitásti eum, & in perículis multis memor ejus fuisti.

Psalmus 8.

DOmine Dóminus noster, * quàm admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Quóniam eleváta est magnificéntia tua * super cælos.

Ex ore infántium, & lacténtiũ perfecisti laudẽ propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum, & ultórem.

Quóniam vidébo cælos tuos, ópera digitórum tuórum, * Lunam, & stellas, quæ tu fundásti.

Quid est homo, quòd memor es ejus? * aut filius hóminis quóniam visitas eum?

Minuisti eum paulò minùs ab Angelis, glória, & honóre coronásti eum: * & constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecisti sub pédibus ejus: * oves, & boves univérsas, insuper & pécora campi.

Vólucres cæli, & pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.

Dómine Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Antiph. Minuisti Dómine hóminem pauló minùs ab Angelis; sed eórum custódia visitasti eum, & in perículis multis memor ejus fuisti.

Antiph Tu Dómine servábis, & custódies nos per Angelum tuum ab omni prava generatióne, quia in circúitu nostro ímpii ámbulant.

Psalmus 11.

SAlvum me fac Dómine, quóniam defécit sanctus: * quóniam diminútæ sunt veritátes à fíliis hóminum.

Vana locúti sunt unusquísque ad próximum suum: * labia dolósa, in corde, & corde locúti sunt.

Dispérdat Dóminus univérsa lábia dolósa, * & linguam magníloquam.

Qui dixérunt: Linguam nostram magnificábimus, lábia nostra a nobis sunt, * quis noster Dóminus est?

Propter misériam inopum, & gémitum páuperum, * nunc exúrgam, dicit Dóminus.

Ponam in salutári: * fiduciáliter agam in eo.

Elóquia Dómini, elóquia casta: * argéntum igne examinátum, probátum terræ, purgátum séptuplum.

Tu Dómine servábis nos, & custódies nos * à generatióne hac in ætérnum.

In circúitu ímpii ámbulant: * secúndùm altitúdinem tuam multiplicásti fílios hóminum.

Antiph. Tu Dómine servábis, & custódies nos per Angelum tuum ab omni prava generatióne, quia in circúitu nostro ímpii ambulant.

℣. Angelis suis Deus mandávit de te.

℟. Ut custódiant te in ómnibus viis tuis.

De Libro Apocalypsis Beáti Joánnis Apóstoli.

Lectio i. *Cap.* 8.

VIdi septem Angelos stantes in conspéctu Dei; & datæ sunt illis septem tubæ. Et alius Angelus venit, & stetit ante altáre habens thuríbulum áureum: & data sunt illi incénsa multa, ut daret de oratiónibus Sanctórum ómnium super altáre áureum, quod est ante thronum Dei. Et ascéndit fumus incensórum de oratiónibus Sanctórum de manu Angeli coram Deo. Et accépit Angelus thuríbulum, & implévit illud de igne altáris, & misit in terram, & facta sunt tonitrua, & voces, & fúlgura, & terræmótus magnus.

℟. Angelis suis Deus mandávit de te, * Ut custódiant te in ómnibus viis tuis. ℣.

In

In mánibus portábunt te, ne fortè offéndas ad lápidem pedem tuum. Ut custódiant te.

Lectio ii.

ET septem Angeli, qui habébant septem tubas, præparavérunt se, ut tuba cánerent. Et primus Angelus tuba cécinit, & facta est grando, & ignis, mixta in sánguine, & missum est in terram, & tértia pars terræ combústa est, & tertia pars árborum concremáta est, & omne fœnum víride combústum est. Et secúndus Angelus tuba cécinit: & tamquam mons magnus igne ardens missus est in mare, & facta est tértia pars maris sanguis, & mórtua est tértia pars creatúræ eórum, quæ habébant ánimas in mari, & tértia pars návium intériit.

℞. Immittet Angelum suum Dóminus in circúitu timéntium eum: * Et ómnibus tribulatiónibus suis erípiet eos. ℣. Clamavérunt justi, & Dóminus exaudívit eos, & misit Angelum suum. Et de ómnibus.

Lectio iii.

ET tértius Angelus tuba cécinit: & cécidit de cælo stella magna, ardens tamquam fácula, & cécidit in tértiam partem flúminum, & in fontes aquárum, & nomen stellæ dicitur Absynthium: & facta est tértia pars aquárum in absynthium: & multi hóminum mórtui sunt de aquis, quia amaræ factæ sunt. Et quartus Angelus tuba cécinit: & percússa est tértia pars Solis, & tértia pars Lunæ, & tértia pars stellárum, ità ut obscurarétur tértia pars eórum, & diéi non lucéret pars tértia, & noctis simíliter. Et vidi, & audívi vocem uníus áquilæ volántis per médium cæli, dicéntis voce magna: Væ, væ, væ habitántibus in terra, de cæteris vócibus trium Angelórum, qui erant tuba canitúri.

℞. Super muros tuos Jerúsalem pósui custódes, * Qui tota die, ac nocte non cessábunt laudáre nomen Dómini. ℣. Prædicábunt pópulis fortitúdinem meam, & annuntiábunt Géntibus glóriam meam. Qui tota. Glória Patri. Qui tota.

In secundo Nocturno. Antiph. Custódi nos, Dómine, ut pupillam óculi: sub umbra alárum tuárum prótege nos.

Psalmus 16.

EXáudi Dómine justítiam meam: * inténde deprecatiónem meam.

Auribus pércipe oratiónem meam, * non in lábiis dolósis.

De vultu tuo judicium meum

meum pródeat: * óculi tui videant æquitátes.

Probásti cor meum, & visitásti nocte: * igne me examinásti, & non est invénta in me iníquitas.

Ut non loquátur os meum ópera hóminum: * propter verba labiórum tuórum ego custodívi vias duras.

Pérfice gressus meos in sémitis tuis: * ut non moveántur vestígia mea.

Ego clamávi, quóniam exaudísti me Deus: * inclina aurem tuam mihi, & exáudi verba mea.

Mirífica misericórdias tuas, * qui salvos facis sperántes in te.

A resisténtibus déxteræ tuæ custódi me, * ut pupíllam óculi.

Sub umbra alárum tuárum prótege me: * à fácie impiórum, qui me afflixérunt.

Inimíci mei ánimam meam circumdedérunt, ádipem suum conclusérunt: * os eórum locútum est supérbiam.

Projiciéntes me nunc circumdedérunt me: * óculos suos statuérunt declináre in terram.

Suscepérunt me sicut leo parátus ad prædam: * & sicut cátulus leónis hábitans in ábditis.

Exúrge Dómine, præveni eum, & supplánta eum: * éripe ánimam meam ab impio, frámeam tuam ab inimícis manus tuæ.

Dómine à paucis de terra dívide eos in vita eórum: * de abscónditis tuis adimplétus est venter eórum.

Saturáti sunt filiis: * & dimisérunt relíquias suas párvulis suis.

Ego autem in justítia apparébo conspéctui tuo: * satiabor cùm apparúerit glória tua.

Antiph. Custódi nos Dómine, ut pupíllam óculi: sub umbra alárum tuárum prótege nos.

Antiph. Mitte nobis Dómine auxílium Angélicum de sancto, & de Sion tuére civitátem nostram.

Psalmus 19.

EXáudiat te Dóminus in die tribulatiónis: * prótegat te nomen Dei Jacob.

Mittat tibi auxílium de Sancto: * & de Sion tueátur te.

Memor sit omnis sacrifícii tui: * & holocáustum tuum pingue fiat.

Tríbuat tibi secúndùm cor tuum: * & omne consílium tuum confírmet.

Lætábimur in salutári tuo: * & in nómine Dei nostri magnificábimur.

Impleat Dóminus omnes petitiónes tuas: * nunc cognóvi quóniam salvum fecit Dóminus Christum suum.

Exáudiet illum de cælo san-

ſancto ſuo : * in potentátibus ſalus déxteræ ejus.

Hi in cúrribus, & hi in equis : * nos autem in nómine Dómini Dei noſtri invocábimus.

Ipſi obligáti ſunt, & cecidérunt: * nos autem ſurréximus, & erécti ſumus.

Dómine ſalvum fac regem : * & exáudi nos in die, qua invocavérimus te.

Antiph. Mitte nobis Dómine auxilium Angélicum de Sancto, & de Sion tuére civitátem noſtram.

Antiph. Qui tribulant nos inimici noſtri, infirmáti ſunt, & cecidérunt, quia Dóminus protéxit nos per Angelum ſuum in abſcóndito tabernáculi ſui.

Pſalmus 26.

DOminus illuminátio mea, & ſalus mea, * quem timébo ?

Dóminus protéctor vitæ meæ, * à quo trepidábo ?

Dum apprópiant ſuper me nocéntes, * ut edant carnes meas.

Qui tríbulant me inimíci mei, * ipſi infirmáti ſunt, & cecidérunt.

Si conſíſtant advérſum me caſtra, * non timébit cor meum.

Si exúrgat advérſum me prælium, * in hoc ego ſperábo.

Unam pétii à Dómino, hanc requíram, * ut inhábitem in domo Dómini ómnibus diébus vitæ meæ.

Vt vídeam voluptátem Dómini, * & víſitem templum ejus.

Quóniam abſcóndit me in tabernáculo ſuo : * in die malórum protéxit me in abſcóndito tabernáculi ſui.

In petra exaltávit me: * & nunc exaltávit caput meum ſuper inimícos meos.

Circuívi, & immolávi in tabernáculo ejus hóſtiam vociferatiónis : * cantábo, & pſalmum dicam Dómino.

Exáudi Dómine vocem meam, qua clamávi ad te : * miſerére mei, & exáudi me.

Tibi dixit cor meum, exquisivit te fácies mea:* fáciem tuam Dómine requíram.

Ne avértas fáciem tuam à me : * ne declínes in ira à ſervo tuo.

Adjútor meus eſto : * ne derelínquas me, neque deſpícias me Deus ſalutáris meus.

Quóniam pater meus, & mater mea dereliquérunt me : * Dóminus autem aſſúmpſit me.

Legem pone mihi Dómine in via tua : * & dirige me in ſémitam rectam propter inimícos meos.

Ne tradíderis me in ánimas tribulántium me:* quóniam inſurrexérunt in me teſtes

testes iniqui, & mentita est iníquitas sibi.

Credo vidére bona Dómini * in terra vivéntium.

Expécta Dóminum, viríliter age: * & confortétur cor tuum, & sústine Dóminum.

Antiph. Qui tríbulant nos inimíci nostri, infirmáti sunt, & cecidérunt, quia Dóminus protexit nos per Angelum suum in abscóndito tabernáculi sui.

℣. Dírige nos Dómine per Angelum tuum.

℟. Quóniam tu es Salvátor noster.

Sermo Sancti Bernárdi Abbatis.

Lectio iv.

IN supérnis Spirítibus non solùm admirábilis dígnitas, sed dignátio amábilis invenitur. Dignum est proínde, fratres, ut glóriam non capiéntes, tanto magis amplectámur misericórdiam, qua nimirum constat nihilóminus abundáre doméśticos Dei, Cæli Cives, Príncipes Paradisi. Testátur dénique Apóstolus ipse, qui raptus usque ad tértium Cælum, beátæ illi Cúriæ méruit interésse, atque ejus nosse secréta, quóniam omnes administratórii sunt spíritus, missi in ministérium propter eos, qui hæreditátem cápiunt salútis. Neque id cuíquam incredíbile videátur, quandóquidem ipse quoque Creátor, & Rex Angelórum venit non ministrári, sed ministráre, & ánimam suam dare pro multis. Ut quid ergo ministérium illud Angelórum quispiam dedignétur, in quo præcédit eos, cui in excélsis tota cum aviditáte, & felicitáte ministrant? Si & id dúbitas, útique qui vidit, testimónium perhíbuit, Míllia, inquiens, míllium ministrábant ei, & décies centéna míllia assistébant ei. Alius quoque Prophéta ad Patrem de Fílio loquens ait: Minuísti eum paulò minùs ab Angelis. Sic planè, sic decet, ut vincat & humilitáte, qui sublimitáte vincébat, sitque tantò minor Angelis, quantò inferióri sese ministério mancipávit. Qui tantò excelléntior est, quantò differéntius præ eis nomen hæreditávit.

℟. Misit Dóminus Angelũ suum, & conclúsit ora leónum: * Et non nocuérunt mihi. ℣. Misit Dóminus misericórdiam suam, & fortitúdinem suam: ánimam meam liberávit de médio catulórum leónum. Et non nocuérunt mihi.

Lectio v.

SEd quæres fortásse, in quo minorátus videátur ab Angelis, cùm ministráre venit, quandóquidem (ut suprà

supra meminimus) in ministérium mittúntur & illi? In eo útique quòd non modò ministravit, sed ministrátus est, eratque unus & idem, qui ministrabat, & qui ministrabátur. Méritò proinde Sponsa in Cánticis Canticórum: Ecce, inquit, venit is sáliens colles. Ministrans enim sáliit inter Angelos, sed & ipsos transíliit ministrátus. Minístrant enim Angeli, sed de alieno, offeréntes Deo bona ópera non sua, sed nostra, ac nobis ejus grátiam referéntes. Unde & Scriptúra dicens: Quóniam ascéndit fumus arómatum in conspéctu Dómini de manu Angeli: solícite præmísit data ei fuisse incénsa multa. Nostros enim sudóres, non suos, nostras, non suas láchrymas ófferunt Deo: nobis quoque ejus múnera réferunt, non sua. Non sic miníster ille sublímior cunctis, sed humílior univérsis, qui semetípsum óbtulit sacrificium laudis, qui Patri ófferens ánimam suam, nobis minístrat usque hódie carnem suam. Hujus útique tanti minístri grátia nihil mirum, si dignánter nobis, imò & libénter Angeli sancti ministrent. Ipsi enim amant nos, quia nos Christus amávit. Dícitur certè vulgári quadam provérbio: Qui me amat, amat & canem meum. Nos verò, beáti Angeli, catélli sumus Dómini illius, quem toto afféctu dilígitis: catélli, inquam, cupiéntes saturári de micis, quæ cadunt de mensa dominórum nostrórum, qui estis vos. Et hæc dixerim, fratres, ut ampliórem de cætero erga beatos Angelos fidúciam habeátis, ac proinde familiáriùs in omni necessitáte vestra eórum invocetis auxília. Sed & digniùs in eórum præséntia conversári, & magis ac magis eórum vobis conciliáre grátiam, captáre benevoléntiam, & exoráre cleméntiam studeátis.

℟. Muro tuo inexpugnábili circumcinge nos Dómine: * Et armis tuæ poténtiæ prótege nos. ℣. Emitte Dómine Angelum tuum, qui custódiat nos in ómibus viis nostris. Et armis.

Lectio vi.

Quæ cùm ita sint, pensáte quanta étiam nobis solicitúdine opus est, dilectissimi, ut dignos nos exhibeámus eórum frequéntia, & eo modo converséмur in conspéctu Angelórum, ne fortè sanctos offendámus obtútus. Væ enim nobis, si quando provocáti peccátis, & negligéntiis nostris, indígnos nos judicáverit præséntia, & visitatióne sua,

sua, ut jam necésse habeámus & nos plángere, & dícere cum Prophéta: Amíci mei, & próximi mei advérsum me appropinquavérunt, & stetérunt, & qui juxta me erant, de longè stetérunt, & vim faciébant qui quærébant ánimam meam: elongátis nimírum eis, quorum præséntia protégere nos, & propulsáre póterat inimícum. Quòd si tam necessáriam habémus familiaritátem dignatiónis Angélicæ, cavénda nobis eórum offénsa, & in his máximè exercéndum, quibus eos nóvimus oblectári. Sunt enim plúrima, quæ eis placent, & quæ in nobis invenire deléctat, ut est sobríetas, cástitas, paupértas voluntária, crebri in Cælum gémitus, & oratiónes cum láchrymis, & cordis intentióne. Attamen super ómnia hæc unitátem, & pacem à nobis éxigunt Angeli pacis.

℟. Expúgna Dómine impugnántes nos: * Et líbera nos de inimícis nostris. ℣. Fiat vitæ illórum ténebræ, & lúbricum, & Angelus Dómini pérsequens eos. Et líbera. Glória Patri. Et líbera.

In tertio Noct. Antiphona. Immísit Angelus Dómini in circúitu timéntium eum, & de multis tribulatiónibus erípuit eos.

Psalmus 33.

BEnedícam Dóminum in omni témpore: * semper laus ejus in ore meo.

In Dómino laudábitur ánima mea:* áudiant mansuéti, & læténtur.

Magnificáte Dóminum mecum: * & exaltémus nomen ejus in idípsum.

Exquisívi Dóminum, & exaudívit me: & ex ómnibus tribulatiónibus meis erípuit me.

Accédite ad eum, & illuminámini: * & fácies vestræ non confundéntur.

Iste pauper clamávit, & Dóminus exaudívit eum: * & de ómnibus tribulatiónibus ejus salvavit eum.

Immittet Angelus Dómini in circúitu timéntium eum: * & erípiet eos.

Gustáte, & vidéte quóniam suávis est Dóminus: * beátus vir, qui sperat in eo.

Timéte Dóminum omnes Sancti ejus: * quóniam non est inópia timéntibus eum.

Dívites eguérunt, & esuriérunt:* inquiréntes autem Dóminum non minuéntur omni bono.

Veníte filii, audíte me:* timórem Dómini docébo vos.

Quis est homo qui vult vitam: * díligit dies vidére bonos?

Próhibe linguam tuam à malo:

malo : * & lábia tua ne loquántur dolum.

Divérte a malo, & fac bonum : * inquire pacem, & persequere eam.

Oculi Dómini super justos : * & aures ejus in preces eórum.

Vultus autem Dómini super faciéntes mala : * ut perdat de terra memóriam eórum.

Clamavérunt justi, & Dóminus exaudívit eos : * & ex ómnibus tribulatiónibus eórum liberávit eos.

Juxtà est Dóminus iis, qui tribuláto sunt corde : * & húmiles spíritu salvábit.

Multæ tribulatiónes justórum : * & de ómnibus his liberábit eos Dóminus.

Custódit Dóminus ómnia ossa eórum : * unum ex his non conterétur.

Mors peccatórum péssima : * & qui odérunt justum delínquent.

Rédimet Dóminus ánimas servórum suórum : * & non delínquent omnes, qui sperant in eo.

Antiph. Immisit Angelus Dómini in circúitu timéntium eum, & de multis tribulatiónibus erípuit eos.

Antiph. Adoráte Dóminum omnes Angeli ejus, quóniam Dóminus custodívit ánimas servórum suórum, & de manu peccatóris liberávit eos.

Psalmus 96.

DOminus regnávit, exúltet terra : * læténtur ínsulæ multæ.

Nubes, & calígo in circúitu ejus : * justítia, & judícium corréctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcédet, * & inflammábit in circúitu inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ : * vidit, & commóta est terra.

Montes sicut cera fluxérunt a fácie Dómini, * à fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt cæli justítiam ejus, * & vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Confundántur omnes, qui adórant sculptília, * & qui gloriántur in simulácris suis.

Adoráte eum omnes Angeli ejus : * audívit, & læ-táta est Sion.

Et exultavérunt fíliæ Judæ, * propter judícia tua, Dñe.

Quóniam tu Dóminus altíssimus super omnem terram : * nimis exaltátus es super omnes deos.

Qui dilígitis Dóminum, odíte malum : * custódit Dóminus ánimas Sanctórum suórum, de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta est justo, * & rectis corde lætítia.

Lætámini justi in Dómino : * & confitémini memóriæ sanctificatiónis ejus.

An-

Antiph. Adoráte Dóminum omnes Angeli ejus, quóniam Dóminus custodivit ánimas servórum suórum, & de manu peccatóris liberávit eos.

Antiph. Benedicite Dóminum omnes Angeli ejus, & notas nobis fácite vias ejus.

Psalmus 102.

BEnedic ánima mea Dómino, * & omnia, quæ intra me sunt, nómini sancto ejus.

Bénedic ánima mea Dómino: * & noli oblivisci omnes retributiónes ejus.

Qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis:* qui sanat omnes infirmitátes tuas.

Qui rédimit de intéritu vitam tuam: * qui corónat te in misericórdia, & miseratiónibus.

Qui replet in bonis desidérium tuum: * renovábitur ut áquilæ juvéntus tua.

Fáciens misericórdias Dóminus: * & judicium ómnibus injúriam patiéntibus.

Notas fecit vias suas Móysi, * filiis Israel voluntátes suas.

Miserátor, & miséricors Dóminus: * longánimis, & multùm miséricors.

Non in perpétuum irascétur: * neque in ætérnum comminábitur.

Non secúndùm peccáta nostra fecit nobis: * neque secúndùm iniquitátes nostras retribuit nobis.

Quóniam secúndùm altitúdinem cæli à terra,* corroborávit misericórdiam suam super timéntes se.

Quantum distat ortus ab occidénte: * longè fecit à nobis iniquitátes nostras.

Quómodo miserétur pater filiórum, misértus est Dóminus timéntibus se: * quóniam ipse cognóvit figméntum nostrum.

Recordátus est quóniam pulvis sumus: * homo sicut fœnum dies ejus, tamquam flos agri sic efflorébit.

Quóniam spiritus pertransíbit in illo, & non subsistet: * & non cognóscet ampliùs locum suum.

Misericórdia autem Dómini ab ætérno,* & usque in ætérnum super timéntes eum.

Et justitia illius in filios filiórum, * his, qui servant testaméntum ejus.

Et mémores sunt mandatórum ipsius,* ad faciéndum ea.

Dóminus in cælo parávit sedem suam: * & regnum ipsius ómnibus dominábitur.

Benedicite Dómino omnes Angeli ejus: * poténtes virtúte faciéntes verbum illius, ad audiéndam vocem sermónum ejus.

Benedicite Dómino omnes virtútes ejus: * ministris ejus,

jus, qui fácitis voluntátem ejus.

Benedícite Dómino ómnia ópera ejus: * in omni loco dominatiónis ejus, bénedic ánima mea Dómino.

Antiph. Benedícite Dóminum omnes Angeli ejus, & notas nobis facite vias ejus.

℣. Mitte Dómine Angelum tuum de Cælis.

℟. Qui custódiat, & illúminet nos.

Léctio Sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vii. *Cap. 2.*

IN illo tempore: Angelus Dómini appáruit in somnis Joseph, dicens: Surge, & áccipe Púerum, & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum, & esto ibi usque dum dicam tibi. Et réliqua.

Homilía Sancti Joánnis Chrysóstomi.

Homilia 8. in Matth.

EST Divinitátis virtúte dignum, non modò contérere inimícos, verùm étiam cum omni illos facilitáte decípere. Sic enim & Ægyptios pópuli sui utilitáte sedúxit: cùmque palam in Judæórum manus illórum posset transférre divítias, occúltè hoc magis fieri, ac decipiéndo præcépit; quod certè illum apud inimícos non minùs fecit, quàm ália signa, terríbilem. Dénique Ascalonítæ, omnésque per circúitum alienigenæ, quando Arcam Dei cepérunt, percussíque plaga suasérunt cívibus suis ne advérsùs Dei repugnárent manum, cum cæteris mirabílibus, hoc quoque in médium protulérunt, dicéntes: Quare aggravátis corda vestra, sicut aggravavit Ægyptus, & Phárao cor suum? Nonne postquam illúsit eis; dimisérunt pópulum suum, & ábiit? Hæc verò dicébant, cùm ad documéntum virtútis Dei signis manifestiùs factis, nequáquam istud esse inférius judicárent. Id igitur étiam in præsénti causa factum est, quod certè fácilè posset tyránno incútere terrórem. Itaque considera, quænam Heródem esse passum, consequéntia rerum ipsa declárat: qui certè suffocári étiam præ indignatiónis magnitúdine pótuit, cùm se ita illúsum, atque irrisum doléret. Quòd si non est hinc mélior efféctus, non Deus, qui ista dispensávit, in culpa est, sed nímia livéntis insánia, qui ne his quidem cessit, quæ útique consolári, & à tanta eum abdúcere malignitáte potuérunt.

℟. Dómine Deus omnípotens, ædificátor, & custos Jerúsalem Civitátis supérnæ, mitte Angelum tuum: * Ut

Ut custódiat Regnum, & locum istum cum ómnibus habitatóribus suis. ℣. Convérte Dómine fáciem tuam super pópulum tuum, & vísita nos per Angelum tuum. Ut custódiat Regnum.

Lectio viii.

ET cujus tandem, ínquies, rei grátia in Ægyptum Parvulus míttitur? Prima quidem illa causa est, quam Evangelísta signávit: Ut implerétur, inquit, quod scriptum est: Ex Ægypto vocávi Filium meum. Deínde ut in illa quoque regióne melióris spei poneréntur exórdia. Quia enim Babylon, atque Ægyptus præ ómnibus terris flamma impietátis ardébant, ab ipsis statim princípiis osténdit, quia utrámque emendatúrus esset, & igne pótiùs fidei succensúrus: ex his útique persuádens étiam de aliis mundi pártibus speránda esse melióra. Nam Pérfidi quidem Magos remittit, ipse verò cũ Matre in Ægyptum descéndit. Supra verò ista, quæ díximus, étiam hinc áliquid áliud addíscitur, quod certè non ad exíguam Philosóphiam pertinére videátur. Quid verò istud est? Quòd ab ipsis vidélicet vitæ inítiis ad tentatiónes debeámus, atque insídias præparári. Cerne ígitur ab ipsis omníno incunábulis. Christi istud affectum: nam statim ne ortus est, contra eum tyránnus furit, & ipse in Ægyptum fugit, continuóque in montána transit, & Mater innóxia in regiónem barbarórum fugátur? ut tu vidélicet hæc áudiens, cùm dignus fúeris speciális alicújus negótii minister éffici, & vidéris te tribulatiónes várias, & mille sustinére discrímina, nihil omníno turbéris, neque tecum ratiocinéris, ac dicas: Quidnam istud est, quod mihi infértur immérito? cui certè laus pótiùs, & coróna cóngruit, quique esse debérem clarus, ac nóbilis, utpote Dóminica præcépta perficiens: sed ut isto munítus exémplo viríliter cuncta sustíneas, sciens tribulatiónes máximas, & inseparábiles quasdam cómites esse virtútum.

℟. Regnum, & Civitátem istam circúmda Dómine: * Et Angeli tui custódiant muros ejus: Exáudi pópulum tuum cum misericórdia. ℣. Avertátur, Dómine, furor tuus ab hoc Regno, & Civitáte tua. Et Angeli tui. Glória Patri. Et Angeli.

Nona Lectio de Homilia Dominicæ occurrentis.

AD

AD LAUDES,

& per Horas, Antiph.

INduit Angelus Princeps noster fortitúdinem, & præcinxit se virtúte, & firmávit civitátem nostram, quæ non commovébitur ab inimícis nostris.

Psalm. Dóminus regnávit, *cum reliq. de Dominica.*

Aña. Jubiláte Deo omnes cives ejus, quóniam Dóminus, qui fecit nos, ipse custódiet, & liberábit nos.

Antiph. Ad te Dómine de luce vígilat Angelus Princeps, & Custos noster, & super Civitátem istam: ídeò inimíci nostri in vanum quæsiérunt expugnáre eam.

Antiph. Benedicant Dóminum omnes Angeli ejus, & repéllant à nobis omnes potestátes advérsas.

Antiph. Laudáte Dóminum omnes Angeli ejus, & alligáte inimícos nostros in compédibus, & omnes impugnántes nos in mánicis férreis.

Capitulum. 4. *Reg.* 19.

HÆc dicit Dóminus de Rege Assyriórum: Non ingrediétur urbem hanc, nec mittet in eam sagittam, nec occupábit eam clypeus, nec circúmdabit eam munítio.

Hymnus.

ÆTérne Rector síderum,
Qui, quidquid est, poténtia
Magna creásti, nec regis
Minóre providéntia.

Adésto supplicántium
Tibi reórum cœtui,
Lucísque sub crepúsculum
Lucem novam da méntibus.

Tuúsque nobis Angelus,
Electus ad custódiam,
Hic adsit, à contágio
Ut críminum nos prótegat.

Nobis dracónis æmuli,
Versútias extérminet,
Ne rete fraudoléntiæ
Incáuta nectat péctora.

Metum repéllat hóstium
Nostris procul de fínibus:
Pacem procúret cívium,
Fugétque pestiléntiam.

Deo Patri sit glória,
Qui, quos redémit Fílius,
Et Sanctus unxit Spíritus,
Per Angelos custódiat.
Amen.

℣. Immíttet Angelus Dómini in circúitu timéntium eum.

℟. Et erípiet eos.

Ad Benedictus, Antiphona. Benedíctus Dóminus, qui per Angelum salútis visitávit plebem, & civitátem nostram, & liberávit eam de manu ómnium, qui odérunt nos, & diréxit pedes nostros in viam pacis.

Oratio.

OMnípotens sempitérne Deus, qui ineffábili providéntia unicuíque Regno singulárem Angelum ad custó-

custódiam deputásti: concéde quæsumus: ut Angeli Regni nostri Custódis précibus, & patrocíniis ab ómnibus semper eruámur advérsis. Per Dóminum.

Deinde fit commem. Dominicæ.

Ad Tertiam, Antiphona. Jubiláte Deo.

Capitulum. Hæc dicit Dóminus, *ut suprà.*

℟. *brev.* Angelis suis Deus,* Mandávit de te. Angelis suis. ℣. Ut custódiant te in ómnibus viis tuis. Mandavit. Glória Patri. Angelis.

℣. Dírige nos Dómine per Angelum tuum.

℟. Quóniam tu es Salvátor noster.

Ad Sextam, Antiphona. Ad te Dómine.

Capitulum 4. Reg. 19.

PEr viam, qua venit, revertétur, & civitátem hanc non ingrediétur, dícit Dóminus: protegámque urbem hanc, & salvábo eam propter me, & propter David servum meum.

℟. *brev.* Dírige nos Dómine, * Per Angelum tuum. Dirige nos Dómine. ℣. Quóniam tu es Salvátor noster. Per Angelum. Glória Patri. Dirige.

℣. Mitte Dómine Angelum tuum de Cælis.

℟. Qui custódiat, & illúminet nos.

Ad Nonam, Antiphona. Laudate Dóminum.

Capitulum. 4. Reg. 19.

FActum est ígitur in nocte illa: Venit Angelus Dómini, & percússit in castris Assyriórum centum octogínta quinque míllia.

℟. *brev.* Mitte Dómine * Angelum tuum de Cælis. Mitte Dómine. ℣. Qui custódiat, & illúminet nos. Angelum. Glória Patri. Mitte.

℣. Immíttet Angelus Dómini in circúitu timéntium eum.

℟. Et erípiet eos.

In secundis Vesperis omnia ut in primis, cum commem. Dominicæ.

FESTA AUGUSTI.

DIE VI. AUGUSTI.

In Festo SS. Salvatoris Titularis sacrosanctæ Ecclesiæ Patriarchalis Lisbonensis, duplex i. Classis cum octava.

Officium de Transfiguratione Domini, ut in Brev. die 6. Augusti, omissa ix. Lectione de Sanctis, cujus loco dicitur quæ sequitur.

Ex Homilia 57. Sancti Joannis Chrysostomi.

TU verò Matthæi philosóphiam considera, qui non celávit nómina eórum, qui præpósiti fúerant.

Quod

Quod & Joánnes sæpiùs fácit, cùm exímias Petri laudes veríssimè, ac diligentíssimè descríbat. Nullùm enim in hoc Apostolórum consórtio livor, aut inánis glória locum habébat. Primos ígitur Apostolórum seórsum assúmpsit. Quamóbrem eos solos accépit? Quia excellentióris vidélicet erant. Cur autem non illicò, sed post sex dies hoc fecit? Ne céteri, scilicet, discípuli ceu hómines moveréntur: quà de re nec eos nominávit, quos acceptúrus erat.

Te Deum laudámus.

DIE VII. AUGUSTI.

Secunda die.

Fit de Sancto Cajetano, Confess. duplex cum commem Oct.

DIE VIII. AUGUSTI.

Tertia die.

Fit de Ss. Cyriaco, &c. Mart. cum commem. Oct.

DIE IX. AUGUSTI.

Quarta die infra Octavam SS. Salvatoris, semiduplex.

In primo Noct. Lect. de Scriptura occur. sed Responsoria, ut sequitur.

℟. *i.* Surge, illumináre Jerúsalem, quia venit lumen tuum: * Et glória Dómini super te orta est. ℣. Et ambulábunt Gentes in lúmine tuo, & Reges in splendóre ortus tui. Et glória Dómini.

℟. *ii.* In splendénti nube Spíritus Sanctus visus est, Patérna vox audita est: * Hic est Fílius meus diléctus, in quo mihi benè complácui, ipsum audíte. ℣. Appáruit nubes obúmbrans, & vox Patris intónuit: Hic est Fílius.

℟. *iii.* Vidéte qualem charitátem dedit nobis Deus Pater, * Ut filii Dei nominémur, & simus. ℣. Scimus quóniam cùm apparúerit, símiles ei érimus, quóniam vidébimus eum sicuti est. Ut filii. Glória Patri. Ut filii.

In secundo Nocturno.

Sermo Sancti Hilárii Epíscopi.

Cap. 17. *in Matth.*

Lectio iv.

In hoc facti géneri servátur & rátio, & númerus, & exémplum. Nam post dies sex glóriæ Domínicæ hábitus osténditur: sed míllium scilicet annórum tempóribus evolútis, regni cæléstis honor præfigurátur: tribúsque assúmptis, de trium orígine, Sem, Cham, Japheth, futúra eléctio pópuli osténditur. Quòd autem Móyses, & Elías ex omni Sanctórum número assístunt, médius inter legem, & Prophétas Christus in Regno est. Cum his

his enim Israélem, quibus téstibus, prædicátus est, judicabit. Simúlque ut & humánis corpóribus decréta esse resurrectiónis glória docerétur, cùm Móyses conspicabilis adstitisset.

℟. Inebriati sunt ab ubertáte domus tuæ: * Et torrénte voluptátis tuæ potásti eos. ℣. Quóniam apud te est fons vitæ, & in lúmine tuo vidébimus lumen. Et.

Lectio v.

IPse autem Dóminus fit nive, ac Sole candidior, supra opiniónem scilicet nostram cæléstis lúminis splendóre conspícuus: Petro autem, ut tria illic tabernácula fierent offerénti, nihil respondétur: nondum enim, ut in hac glória consisterétur, erat tempus. Hunc esse Filium, hunc diléctum, hunc complácitum, hunc audiéndum vox de nube significat; ut idóneus ipse præceptórum tálium auctor esset, qui post sæculi damnum, post crucis voluntátem, post óbitum corpóreum, regni cæléstis glóriam ex mortuórum resurrectióne facti confirmásset exémplo.

℟. Præcéptor, bonum est nos hic esse: * Faciámus hic tria tabernácula: tibi unum, Móysi unum, & Elíæ unum. ℣. Non enim sciébat quid díceret. Faciámus.

Lectio vi.

TErritos deinde, & consternátos elevávit: ut solùm contueréntur quem medium constitisset inter Móysen, & Eliam víderant. Ad futúri enim formam, atque ad facti fidem Móyses, & Elias in monte constíterant. Siléntium enim rerum gestárum, quas víderant, imperat, donec à mórtuis resúrgeret. Hoc enim fidei præmium reservabátur: ut honor redderétur, his, apud quos non levis sola præceptórum auctóritas reperirétur. Infirmos enim sanáverat ad vocis audítum: ut cùm essent Spíritu Sancto repléti, tunc gestórum spirituálium testes essent.

℟. Si ministrátio mortis, literis deformáta in lapídibus, fuit in glória, ita ut non possent inténdere filii Israel in fáciem Móysi, propter glóriam vultus ejus, quæ evacuátur: * Multò magis ministrátio spíritus, quæ manet, erit in glória. ℣. Amplióris enim glóriæ Christus præ Móyse dignus est hábitus; quantò ampliórem honórem habet domo, qui fabricávit eam. Multò magis. Glória Patri. Multò magis.

In

In tertio Nocturno.
Léctio Sancti Evangélii secúndùm Matthæum.
Lectio vii. *Cap.* 17.

IN illo témpore : Assúmpsit Jesus Petrum, & Jacóbum, & Joánnem fratrem ejus, & duxit illos in montem excélsum seórsum : & transfigurátus est ante eos. Et réliqua.

De Homilía S. Leónis Papæ.
Ex Hom. de Transf. Domini.

ASsúmpsit Jesus Petrū, Jacóbum, & fratrem ejus Joánnem, & conscénso cum eis seórsum monte præcélso, claritátem suæ glóriæ demonstrávit : quia licèt intellexíssent in eo majestátem Dei, ipsius tamen córporis, quo divínitas tegebátur, poténtiam nesciébant. Et ídeo próprie signánterque promíserat, quosdam de astántibus discípulis non priùs gustáre mortem, quàm vidérent Fílium hóminis veniéntem in regno suo, id est, in régia claritáte, quam spirituáliter ad natúram suscépit hóminis pertinéntem, his tribus viris vóluit esse conspícuam. Nam illam ipsius Deitátis ineffábilem, & inaccessíbilem visiónem, quæ in ætérnam vitam mundis corde servátur, nullo modo mortáli adhuc carne circúmdati intuéri póterant, & vidére.

℟. Vocávit nos Deus vocatióne sua sancta, secúndùm grátiam suam, quæ manifestáta est nunc, * Per illuminatiónem Salvatóris nostri Jesu Christi. ℣. Qui destrúxit mortem, illuminávit autem vitam in incorruptiónem. Per illuminatiónem.

Lectio viii.

DIcénte Patre : Hic est Filius meus diléctus, in quo mihi benè complácui, ipsum audite, nonnè evidénter auditum est : Hic est Filius meus, cui ex me, & mecum esse sine témpore est ? Quia nec génitor génito prior, nec génitus est genitóre postérior. Hic est Filius meus diléctus, quem à me non séparat Déitas, non dividit potéstas, non discérnit ætérnitas. Hic est Filius meus, non adoptívus, sed próprius : non aliúnde creátus, sed ex me génitus : nec de ália natúra mihi factus comparábilis, sed de mea esséntia mihi natus æquális.

℟. Deus, qui fecit de ténebris lumen splendéscere, illúxit in córdibus nostris, * Ad illuminatiónem sciéntiæ claritátis Dei in fácie Jesu Christi. ℣. Exórtum est in ténebris lumen rectis corde, misericors & miserátor & justus. Ad illuminatiónem. Glória Patri. Ad illuminatiónem.

Nona Lect. Vig. S. Laur. cum com. ejusdem, ac S. Romani.

DIE X. AUGUSTI.

Quinta die.

Fit de S. Laur. Mart. sine com. oct. nisi in secundis Vesp. in quibus fit com. Ss. Tiburt. &c.

DIE XI. AUGUSTI.

Sexta die.

In i. Noct. Lect. de Script. occur. sed Responsor. ut suprà.

In secundo Nocturno.

Sermo S. August. Episcopi.

Serm. 69. de Diversf.

Lectio iv.

INspiciénda nobis, & tractánda est, charíssimi, visio, quam Dóminus demonstrávit in monte. Ipsa est enim, de qua dixerat: Amen dico vobis, quia sunt hic quidam de circumstántibus, qui non gustábunt mortem, donec videant Filium hóminis in regno suo. Non parva quæstio est. Neque enim ille mons regnum erat comprehénsum. Quid est mons ei, qui póssidet Cælum? Quod non solùm légimus, sed étiam óculis cordis quodámmodò vidémus. Regnum suum dicit, quod multis locis appéllat Regnum Cælórum: regnum autem Cælórum est regnum Sanctórum.

℟. Inebriáti sunt ab ubertáte domus tuæ: * Et torrénte voluptátis tuæ potásti eos. ℣. Quóniam apud te est fons vitæ, & in lúmine tuo vidébimus lumen. Et.

Lectio v.

HOc ut ostenderétur, vidéte, quid factum est. Dóminus ipse Jesus resplénduit sicut Sol, vestiménta autem ejus facta sunt cándida sicut nix. Ipse Jesus quidem, ipse splénduit sicut Sol, se lumen esse significans, quod illúminat omnem hóminem veniéntem in hunc mundum. Quod est iste Sol óculis carnis, hoc ille óculis cordis: & quod iste cárnibus, hoc ille córdibus. Vestiménta autem ejus, Ecclésia ejus, vestiménta enim, nisi ab indúto contineántur, cadunt. Horum vestimentórum quædam quasi novíssima fimbria Paulus fuit. Ipse enim dicit: Ego enim sum mínimus Apostolórum.

℟. Præcéptor, bonum est nos hic esse: * Faciámus hic tria tabernácula: tibi unum, Moysi unum, & Elíæ unum. ℣. Non enim sciébat quid díceret. Faciámus.

Lectio vi.

MOyses, & Elías, id est, Lex, & Prophétæ, quid valent, nisi cum Dómino colloquántur? Nisi Dómino perhíbeant testimónium, quis leget legem? Quis Prophétas? Vidéte, quàm bréviter hoc Apóstolus ait:

Per

Per legem enim cognitio peccáti. Nunc autem sine lege, justítia Dei manifestáta est; ecce Sol: testificáti à lege, & Prophétis; ecce splendor. Videt hoc Petrus, & humána sápiens, tamquam homo: Dómine, bonum est, inquit, nos hic esse. Ut quid inde discéderet ad labóres, & dolóres? Habens in Deum sanctos amóres, & ideò bonos mores, benè sibi volébat esse. Ad hæc nihil Dóminus respóndit.

℟. Si ministrátio mortis, literis deformáta in lapídibus fuit in glória, ita ut non possent inténdere filii Israel in fáciem Moysi, propter glóriam vultus ejus, quæ evacuátur: * Multò magis ministrátio spíritus, quæ manet, erit in glória. ℣. Amplióris enim glóriæ Christus præ Moyse dignus est hábitus: quantò amplióreṁ honórem habet homo, qui fabricávit eam. Multò. Glória Patri. Multò.

In tertio Nocturno.

Léctio Sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vii. *Cap.* 17.

IN illo témpore: Assúmpsit Jesus Petrum, & Jacóbum, & Joánnem fratrem ejus, & duxit illos in montem excélsum seórsum: & transfigurátus est ante eos. Et réliqua.

Homilía Sancti Hierónymi Presbyteri.

Lib. 3 *Com. in Matth. cap.* 17.

QUæritur, quómodo post dies sex assúmpserit eos, & dúxerit in montem excélsum seórsum, cùm Lucas Evangelista octonárium númerum ponat? Sed fácilis respónsio est: quia hic médii ponúntur dies, ibi primus ádditur, & extrémus. Non enim dicitur: Post dies octo, sed die octávo. Duxit illos in montem. Dúcere ad montána discípulos pars regni est. Ducúntur seórsum, quia multi vocáti, pauci verò elécti: Et transfigurátus est ante eos. Quális futúrus est témpore judicándi, talis appáruit Apóstolis.

℟. Vocávit nos Deus vocatióne sua sancta, secúndùm grátiam suam, quæ manifestáta est nunc, * Per illuminatiónem Salvatóris nostri Jesu Christi. ℣. Qui destrúxit mortem, illuminávit autem vitam in incorruptiónem. Per illuminatiónem.

Lectio viii.

QUòd autem dicit: Transfigurátus est ante eos, nemo putet pristinam eum formam, & fáciem perdidisse, vel amisisse córporis veritátem, & assumpsisse corpus vel spirituále, vel aéreum: sed quómodò

modò transformátus sit, Evangelísta demónstrat, dicens: Et resplénduit fácies ejus, sicut Sol, vestiménta autem ejus facta sunt alba sicut nix. Ubi splendor faciéi osténditur, & candor descríbitur véstium, non substántia tóllitur, sed glória commutátur. Transformátio splendórem áddit, fáciem non subtráxit.

℟. Deus, qui fecit de ténebris lumen splendéscere, illúxit in córdibus nostris, * Ad illuminatiónem sciéntiæ claritátis Dei in fácie Jesu Christi. ℣. Exórtum est in ténebris lúmen rectis corde, miséricors & miserátor & justus. Ad illuminatiónem sciéntiæ. Glória Patri. Ad illuminatiónem sciéntiæ.

Nonæ Lect. de Ss. Tiburt. & Susan. & fit com. oct. S. Laur. & eorum Sanctorum.

DIE XII. AUGUSTI.

Septima die.

Fit de S. Clara V. dup. commemor. octavar.

Vesp. de octav. duplex, ut in primis Vesperis festi, cum commemor. S. Claræ, & S. Laur. & Ss. Hippolyt. &c. ut in Breviario.

DIE XIII. AUGUSTI.

In die octav. SS. Salvatoris.

Lectio primi Nocturni de Scriptura occur. sed Responsorio, ut suprà. 79.

In secundo Nocturno.

Sermo Sancti Cyrilli Episcopi Alexandríni.

Apud Metaph. post med.

Lectio iv.

ARbitrátus fortásse Beátus Petrus advenisse tempus regni Dei, in monte quidem versári déligit: dicit autem tria esse faciénda tabernácula, nésciens quid díceret. Non erat enim tempus consummatiónis sæculi, neque in præsénti témpore sunt sancti futúri partícipes spei eis promíssæ. Cùm ergo dispensátio adhuc esset in princípio, & nondum esset finíta, quómodò erat consentáneum, Christum, qui vénerat propter charitátem in mundum, desínere pro eo velle pati? Nesciébat ergo Petrus quid díceret.

℟. Inebriáti sunt ab ubertáte domus tuæ: * Et torrénte voluptátis tuæ potásti eos. ℣. Quóniam apud te est fons vitæ, & in lúmine tuo vidébimus lumen. Et.

Lectio v.

CEterùm præter admirábile, & arcánum Christi glóriæ spectáculum, áliquid quoque áliud factum est útile, & necessárium ad confirmándam in se fidem, non solis discípulis, sed étiam nobis ipsis. Désuper enim ex alto éxtitit vox Dei, & Patris dicéntis: Hic est Filius meus dilé-

diléctus, in quo mihi bene complácui, ipsum audite. Et dum facta est, inquit, vox, invéntus est solus Jesus. Ecce præsénte Moyse Pater jubet sanctis Apóstolis, ut eum áudiant. Quòd si eos voluisset sequi præcépta Móyses, dixisset: Serváte legem. Nunc autem ne hoc quidem dicit Deus, & Pater. Aberat quidem Móyses, Elías autem non áderat, solus verò erat Christus. Jussit ergo ipsum audire: ipse est enim finis legis, & Prophetárum.

℟. Præcéptor, bónum est nos hic esse: * Faciámus hic tria tabernácula: tibi unum, Móysi unum, & Elíæ unum. ℣. Non enim sciébat quid diceret. Faciámus.

Lectio vi.

PRoptéreà Judæórũ pópulum allocútus est, dicens: Si crederétis Moysi, crederétis útique mihi: ille enim de me scripsit. Quóniam autem & per sapientíssimum Moysen datum præcéptum contémnere, & quæ per Sanctos Prophétas dicta sunt, nihil dúcere perpétuò perseverárunt, jure sunt abalienáti, & exturbáti à bonis, quæ promissa sunt ipsis pátribus. Obediéntia enim mélior est quàm sacrificium: & auscultátio, quàm adeps agnórum, sicut scriptum est. Et ita quidem se habent res Judæórum. Nobis autem, qui ejus advéntum agnóvimus, ómnia omnínò bona áderunt per ipsum, & in ipso Christo. Per quem, & cum quo, Deo, & Patri glória, & poténtia cum Sancto Spiritu in sæcula sæculórum. Amen.

℟. Si ministrátio mortis, litteris deformáta in lapídibus, fuit in glória, ita ut non possent inténdere filii Israel in fáciem Moysi, propter glóriam vultus ejus quæ evacuátur: * Multò magis ministrátio spíritus, quæ manet, erit in glória. ℣. Amplióris enim glóriæ Christus præ Moyse dignus est hábitus: quantò amplióram honórem habet homo, qui fabricávit eam. Multò. Glória Patri. Multò.

In tertio Nocturno.

Léctio Sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vii. *Cap.* 17.

IN illo témpore: Assúmpsit Jesus Petrum, & Jacóbum, & Joánnem fratrem ejus, & duxit illos in montem excélsum seórsum: & transfigurátus est ante eos. Et réliqua.

Homilia Sancti Ambrósii Epíscopi.

Lib. 7. *in Lucam*, *cap.* 9.

HIc est Filius meus diléctus. Hoc est, non Elías filius, non Móyses filius;

lius; sed hic est Fílius, quem solùm vidétis: recessérunt enim illi, ubi cœpit Dóminus designári. Vides hanc non solùm insipiéntium, sed étiam perfectórum; imò étiam cœléstium, fidem esse perféctam, Fílium Dei scire. Sed quóniam hæc jam supra díximus, cognósce nubem istam non fumigántium esse móntium nebulóso humóre concrétam, & coácti áeris calígine píceam, quæ Cælum tenebrárum horróre subtéxat: sed lúcidam nubem, quæ nos non pluviálibus aquis, & humént is alluvióne imbris immádidet, sed de qua mentes hóminum, voce Dei omnipoténtis emíssa, ros fídei rigávit.

℟. Vocávit nos Deus vocatióne sua sancta, secúndùm grátiam suam, quæ manifestáta est nunc, * Per illuminatiónem Salvatóris nostri Jesu Christi. ℣. Qui destrúxit mortem, illuminávit autem vitam in incorruptiónem. Per illuminatiónem.

Lectio viii.

ITaque cùm tres essent, unus est factus. Tres in princípio vidéntur, unus in fine. Perfecta enim fídei unum sunt. Dénique hoc étiam Dóminus Patrem orát, ut omnes unum simus. Nec solùm Móyses, & Elías in Christo unum sunt, sed étiam nos unum corpus sumus Christi. Ergo & illi tamquam in uno córpore recipiúntur in Christi corpus: quia & nos unum érimus in Christo Jesu. Aut fortássis, quia lex, & Prophétæ ex Verbo: quæ autem ex Verbo cœpérunt, in Verbo désinunt. Finis enim legis est Christus, ad justítiam omni credénti.

℟. Deus, qui fecit de ténebris lumen splendéscere, illúxit in córdibus nostris, * Ad illuminatiónem sciéntiæ claritátis Dei in fácie Jesu Christi. ℣. Exórtum est in ténebris lumen rectis corde, miséricors, & miserátor & justus. Ad illuminatiónem. Glória Patri Ad illuminatiónem.

Nona Lect. de Ss. Hippolyto, & Cassiano Mart. cum com. S. Laurentii, & de Ss.

In ii. Vesp. com. S. Laur. & S. Eusebii.

DIE XVI. AUGUSTI.

In Festo S. Rochi Confessoris, dup. maius.

Omnia de Com. Conf. non P. præter ea, quæ sequuntur.

Oratio.

POpulum tuum, quæsumus Dómine, contínua pietáte custódi, & beáti Rochi suffragántibus méritis, ab omni fac ánimæ, & córporis contagióne secúrus. Per Dóminum nostrum, &c.

Le-

Lectiones primi Nocturni, de Communi primo loco.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

ROchus in Monte Pessuláno natus, quanta in próximum charitáte flagráret, tùm máximè osténdit, cùm sævíssima peste longè, latèque per Itáliam grassánte, pátria relícta, Itálicam peregrinatiónem suscépit, urbésque, & óppida péragrans, seipsum in ægrotántium obséquium impéndere, animámque suam pro fráttribus pónere non dubitávit. Quod beáti Viri stúdium, quàm gratum Deo fúerit, miris sanatiónibus declarátum est; complúres enim pestiléntia inféctos è mortis periculo signo Crucis eripuit, & integræ sanitáti restítuit. In pátriam revérsus, virtútibus, & méritis dives sanctíssimè óbiit, ejúsque óbitum statim subsecúta est venerátio fidélium, quæ in Constantiénsi deinde Concílio magnum recepisse dicitur increméntum, cùm ad propulsándam ingruéntem luem, Rochi imágo solémni pompa, omni comitánte pópulo per eámdem Civitátem, Epíscopis adprobántibus, est deláta. Itaque ejus cultus mirificè propagátus est in univérso terrárum orbe, qui eúmdem sibi apud Deum advérsus contagiósam luem patrónum religióso stúdio adoptávit. Quibus accuráte perpénsis, Urbánus Octávus Póntifex Máximus, ut ejus dies festus iis in locis, in quibus forent Ecclésiæ Sancti Rochi nómine Deo dicátæ, officio Ecclesiástico celebrarétur, indúlsit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, & custodívit eum ab inimícis, & a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, & osténdit illi Regnum Dei. Et dedit.

Ex Tractátu Sancti Augustíni Epíscopi in Epístolam Joánnis.

Tract. 5. in cap. 3.

Lectio v.

PErfécta ista cháritas est, ut parátus sis mori pro fratre. Hanc ipse Dóminus in se exhíbuit, mórtuus pro ómnibus, orans pro eis, à quibus crucifigebátur, & dicens: Pater, ignósce illis, quia nésciunt quid fáciunt. Sed si solus hoc fecit, non erat Magíster, si discípulos non habébat. Si quis tantam habúerit charitátem, ut parátus sit pro frátribus étiam mori, perfécta est in illo cháritas; sed numquid mox, ut náscitur, jam prorsus perfécta est? Ut perficiátur, náscitur: cùm fú-

fúerit nata, nutrítur: cùm fúerit nutríta, corroborátur: cùm fúerit roboráta, perficitur; cùm ad perfectiónem vénerit, quid dicit? Mihi vívere Christus est, & mori lucrum; optábam dissólvi, & esse cum Christo. Multò enim magis óptimum manére in carne necessárium propter vos. Propter eos volébat vívere, pro quibus parátus erat mori.

℟. Amávit eum Dóminus, & ornávit eum: stolam glóriæ induit eum, * Et ad portas Paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fidei, & ornávit eum. Et ad portas.

Ex Tract. 6.

Lectio vi.

HÆc est perféctio charitátis, & maior omníno non potest inveníri: sed quia non in ómnibus perfécta est, & desperáre non debet, in quo perfécta non est, si jam nata est, quæ perficiátur, & útique si nata est, nutriénda est, & quibúsdam suis nutriméntis ad perfectiónem própriam perducéndo. Quæsívimus inchoatiónem charitátis unde incípiat, & ibi continuò invénimus: si quis habet facultátes mundi, & víderit fratrem suum egéntem, & cláuserit víscera sua advérsus eum, quómodo diléctio Patris manet in illo? Ergo hìc íncipit ista cháritas, fratres, ut de suis supérfluis tribuat egénti in angústiis aliquibus constitúto, ex eo quod sibi abúndat secúndùm tempus à tribulatióne temporáli líberet fratrem. Hinc exórdium est charitátis. Hanc ita cœptam, si verbo Dei, & spe futúræ vitæ nutriéris, pervénies ad illam perfectiónem, ut parátus sis ánimam tuam pónere pro frátribus tuis.

℟. Iste homo perfécit ómnia, quæ locútus est ei Deus: & dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus Géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, & pervénit ad cæléstia Regna. Quia te vidi justum. Glória Patri. Quia te vidi justum.

In tertio Nocturno, Homilia in Evangel. Sint lumbi vestri, *de Communi primo loco.*

Fit commemor. oct. Assumpt. & S. Laurentii. In secundis Vesperis fit commemor. diei oct. S. Laurentii, & oct. Assumpt.

FINIS.

PROPRIUM SANCTORUM OLISIPONENSIS ECCLESIÆ.

PARS AUTUMNALIS.

FESTA SEPTEMBRIS.

DIE VI. SEPTEMBRIS.

In Festo S. Rosæ Viterbiensis Virginis, duplex.

Omnia dicuntur, ut in Communi Virginum, præter ea, quæ hic habentur propria.

Oratio.

DEus, qui Beátam Rosam Sanctárum tuárum Vírginum collégio aggregáre dignátus es: tribue nobis, quæsumus, ut ejus précibus, & méritis à culpis ómnibus expiémur, & tuæ majestátis consórtio perfruámur ætérno. Per Dóminum nostrum.

In primo Nocturno, Lect. de Scriptura occur.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

ROsa Vitérbii piis paréntibus nata, ab ipsa infántia omni virtúte enítuit, facta perfectiónis Magistra, cùm vix loqui didicisset. Mundi exósa vanitátes, rudi amictu, pedum nuditáte, cilício, jejúniis, aliisque austeritátibus corpúsculum affligens, divínæ contemplatióni júgiter vacábat. Hanc verò exímiam sanctitátem insigni miráculo Deus testátam vóluit: nam adhuc puélla avúnculam defúnctam ad vitam revocávit. Ad virginitátem, quem perpétuò cóluit, solo aspéctu intuéntium ánimos excitábat. Charitátis erga páuperes studiosíssima, cùm aliquándo hibérno témpore subtráctum sibi panem clàm illis deférret, patre imperánte, ut próderet quid grémio abscónditum ferret, panis in rosas convérsus est.

℟. Propter veritátem, & mansuetúdinem, & justítiam: * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua, inténde, próspere procéde, & regna. Et dedúcet.

Lectio v.

CUm séptimum explésset annum, solitúdinis desidério flagrans, domus suæ angústam céllulam elégit, cui se tamquam voluntário cárceri inclúsit, & oratió-

tióni, córporisque castigatióni ardénter incúmbens, Dei cleméntiam deprecabátur pro sanctæ Ecclésiæ tranquillitáte, quam Frederici Secúndi Imperatóris impíetas acérrimè divexábat. Ex diútina autem maceratióne in morbum lethálem incidit; in quo Beátæ Vírginis visitatióne recreáta, hábitum Tértii Ordinis Sancti Francísci indúere jussa est. Decénnis, à Deo inspiráta, piis adhortatiónibus, validísque arguméntis multos hæréticos ad fidem, & obediéntiam Románi Pontíficis redúxit. Qua de causa cum tota cognatióne sua in exílium ejécta, ad vicína óppida venit, ubi Frederíci mortem, & Ecclésiæ pacem prophético spíritu prædixit. Mulierem cæcam à nativitáte illuminávit: & ad fidei veritátem astruéndam succénsum rogum ingréſſo, ac tribus horis in eo illæsa pérmanens, cujúsdam hæréticæ mulieris pervicáciam vicit, eámque cum aliis ad fidem convértit.

℟. Dilexísti justítiam, & odísti iniquitátem:* Proptéreà unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, & mansuetúdinem, & justítiam. Proptéreà.

Lectio vi.

Tandem Vitérbium summa cívium gratulatióne revérsa, in consórtium Sanctimoniálium Sanctæ Maríæ de Rosis admitti pétiit: sed illis ingréssum ob puéllæ inópiam denegántibus, se mórtuam in eo Cœnóbio commoratúram prædíxit. Mox ad pristinum domus suæ cárcerem regréssa; cùm in ea duóbus annis permansisset, morbo corrépta, & ad beátam pátriam suspírans, méritis plena migrávit ad Sponsum, décimo octávo suæ vitæ anno nondum exácto. Corpus ejus miro splendóre illustrátum, suavíque odóre perfúsum, in Templo Sanctæ Maríæ de Pódio offóssa humo, ac désuper ingésta tumulátum fuit: donec post triginta círciter menses ab Alexándro Quarto, tunc Vitérbii sedénte, & in somnis ter ab ea admónito, refóssum, & incorrúptum repértum, prídie nonas Septémbris ad præfátum Monastérium, quod pósteà Sanctæ Rosæ nuncupátum est, solémniter translátum fuit, ubi usque ad hodiérnam diem íntegrum, & flexíbile summa totius Orbis admiratióne assservátur, & novis semper miráculis corúscat.

℟. Afferéntur Regi vírgines post eam, próximæ ejus, * Af-

* Afferéntur tibi in lætítia, & exultatióne. ℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua, inténde, prósperè procéde, & regna. Afferéntur. Glória Patri. Afferéntur.

In tertio Noct. Homilia S. Gregorii Papæ in Evangel. Símile erit Regnum Cælórum decem Virgínibus, *ut in Com. Virginum.*

In ii. Vesperis à Capitulo de S. Laurentio Justiniano, & fit commem. anteced.

DIE XVI. SEPTEMBRIS.

In Festo Translationis Sancti Vincentii Martyris, dup. ii. classis.

Ad Vesperas, Antiphona. Vicit ímpium tyránnum, *cum reliquis de Laudibus. Psal.* Dixit Dóminus, *cum reliquis de Dominica, & loco ultimi Psalm.*

Laudáte Dóminum omnes Gentes.

Capitulum. *Jac.* 1. b

BEátus vir, qui suffert tentatiónem, quóniam, cùm probátus fúerit, accípiet corónam vitæ, quam repromísit Deus diligéntibus se.

Hymnus.

VIncénti adésto, & pércipe
Voces precántum súpplices,
Nostris reátus éfficax
Orátor ad thronum Patris.
Per te, per illum cárcerem
Honóris augméntum tui,
Per vincla, flammas, úngulas,
Per carcerálem stípitem.
Per fragmen illud tésteum,
Quo parta crevit glória,
Per quem treméntes pósteri
Exosculántur léctulum.
Miserére nostrárum precum,
Placátus ut Christus suis
Inclinet aurem prósperam,
Noxus nec omnes imputet.
Si ritè solémnem diem
Venerámur ore, & péctore;
Si sub tuórum gáudio
Vestigiórum stérnimur.
Paulísper huc tu illábere
Christi favórem déferens,
Sensus graváti ut séntiant
Levámen indulgéntiæ.
Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre, & almo Spíritu
In sempitérna sæcula.
Amen.

Ad Laudes, & ii. Vesp. dicitur:

Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Et nunc, & omne in sæcúlum. Amen.

℣. Glória, & honóre coronásti eum, Dómine.

℞. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Ad Magnificat, Antiphona. Osca Vincéntium génuit, Cæsaraugústa stola exornávit,

vit, Valéntia martyrio coronávit, Lisbóna sepultúra decorávit.

Oratio.

Deus, qui gloriósi Mártyris tui Vincéntii corpus ad nos transférri voluisti: præsta, quæsumus, ut ejus précibus in ætérnam beatitúdinem transferámur. Per Dóminum.

Commem. oct. Nativit.

Ad Matutinum, Invitator. Translatiónem Beáti Vincéntii celebrémus: * Christum Regem Mártyrum, veníte, adorémus.

Psalmus. Veníte, exultémus Dómino.

Hymnus.

Exúrge, Martyr ínclyte,
Exúrge secúrus tui,
Exúrge, & audi cánticum,
Quod excubántes psállimus.

Decúrsa jam satis tibi
Pœne minácis múnia,
Pulchróque mortis éxitu
Omnis perácta est passio.

Oh miles invictíssime,
Fortissimórum fórtior,
Jam te ipsa sæva, & áspera
Torménta victórem tremunt.

Spectátor hæc Christus Deus
Compénsat ævo intérmino,
Propriæque collégam crucis
Larga corónat déxtera.

Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Filio
Cum Spíritu Paráclito,
Et nunc, & omne in sæculum. Amen.

In primo Nocturno, Antiph. Erit nobis Vincéntii corpus honor, & custódia, si in lege Dómini fúerit volúntas nostra.

Psalmi de Communi unius Martyris.

Antiphona. Frustrà in corpus Vincéntii fremuérunt gentes, & pópuli meditáti sunt inánia.

Antiphona. Vincéntio protegénte non timébimus míllia pópuli tenebrárum circumdántis nos.

℣. Glória, & honóre coronásti eum, Dómine.

℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Lectio primi Nocturni de Epist. ad Roman. Fratres, debitóres sumus. *Responsoria verò, quæ sequuntur.*

℟. *i.* Sacram Beáti Vincéntii Mártyris solemnitátem devóte celebrémus, cùm invíctus Christi athléta insígnem victóriæ palmam íntulit Cælo, * Et bravíum salútis ætérnæ comprehéndens, corónam justítiæ recépit. ℣. Bonum certámen certávi, cursum consummávit, fidem servávit. Et bravíum salútis.

℟. *ii.* Si jubes, Pater Sancte, respónsis júdicem aggrédiar. Jam tibi, Fili, Divini

vini Verbi curam commíseram: * Nunc quoque pro fide, qua astámus, respónsa commítto. ℣. Magna jampridem cum laude, & créditi mihi pópuli utilitáte meo múnere fungebáris. Nunc quoque.

℟. iii. Tanta grassabátur crudélitas in Mártyris córpore, & tanta tranquíllitas proferebátur in voce, * Ut Vincéntio patiénte, non is, qui torquebátur, sed álius loqui viderétur. ℣. Tot convícta miráculis persistébat impíetas, tot vexáta supplíciis non cedébat infírmitas. Ut Vincéntio patiénte. Glória Patri. Ut Vincéntio patiénte.

In secundo Nocturn. Antiph. Mirificásti, Dómine, Sanctum tuum, & exaudísti eum pro nobis clamántem ad te.

Antiph. Tu, Dómine, benedixísti justo, scuto bonæ voluntátis tuæ coronásti eum.

Antiph. Vólucres cæli, & pisces maris Vincéntio Mártyri famulántur.

℣. Posuísti, Dómine, super caput ejus.

℟. Corónam de lápide pretióso.

Lectio iv.

POstquam in agro Oriquiénsi Reges Sarracenórum quinque uno prælio fudit primus Lusitániæ Rex Alphónsus, libertáte donávit Christiános captívos Mauris eréptos, à quibus cùm quæreret, quinam essent: Ubinam capti? Respondérunt áliqui, se à Valéntia oriúndos, patrésque ipsórum metu impii Abderáminis à Valéntia discessisse, secum portántes corpus Sancti Vincéntii Mártyris, & tandem consedísset in último Algárbii promontório, ubi sacéllum Mártyri, & paupérculas domos sibi condidérunt, quas aliquándiu inhabitavérunt, donec Maurus quidam nóbilis illuc véniens, omnésque Christiános esse animadvértens, evérso Mártyris scéllo, occisis maióribus, púeros duxit captívos; se tamen loci, domunculárum, & corvórum ibi frequénter convolántium recordári.

℟. Ecce jam in sublíme agor, & omnes príncipes tuos sæculo áltior, tyránne, despício, nolo glóriam meam mínuas, nec damna laudis ínferas: * Parátus sum enim ad ómnia torménta pro Salvatóris nómine sustinénda. ℣. Insúrge ergo, & vidébis me Dei virtúte plus posse, dum tórqueor, quàm possis ipse, qui torques. Parátus sum.

Lectio v.

HIs Rex evéctus in spem máximam obtinéndi sa-

ſacrum corpus, ad cum locum ſtatim conténdit, quem ubi deformátum, impervi-úmque deprehéndit, revértitur, diláta re in tempus opportúnius; atque ínterim Mauris lóngiùs abáctis, & cum Rege Hiſpalénſi pactis induciis ad quinquénium, Lisbóna item expugnáta, ubi Sancto Mártyri Vincéntio Cœnóbiũ cóndidit, rem dénuò aggréditur; navem inſtrúxit parátu béllico, áddidit quoque qui ſylvas ſecárent, terram fóderent, rúdera expurgárent, item ſenióres Valentínos loci índices, mittique in Algárbii promontórium: ibi Deum precántes, ut theſáurum abſcónditum in agro inveniéndum præbéret, tandem corvórum indício ad locum devenérunt; quo expurgáto, domórum, & ſacélli veſtígia invenérunt, deinde aram dírutam, & ſub ea capſam lígneam, in qua corpus Beatíſſimi Mártyris cónditum erat.

℟. Ardébat Vincéntius extrínſecùs tyránni ſæviéntis incéndiis: * Sed maior illum intrínſecùs Chriſti amóris flamma torrébat. ℣. Intrépidus Dei athléta candéntis ferri máchinam ultrò conſcéndit. Sed maior illum.

Lectio vi.

Vix ſacrum corpus navi impóſitum eſt, cùm corvi duo ſacéllo aſſuéti, alter in puppi, alter in prora conſedérunt, & ſacras Relíquias Lisbónam uſque ſunt comitáti: quò ubi ventum eſt, nocte intempéſta; ut populárium tumúltus abéſſet, defértur ſacrum corpus in Eccléſiam Sanctæ Juſtæ eo témpore vicinióorem pórtui. At facto manè, & civium ad eam Eccléſiam concúrſu, non levis diſſénſio orta eſt de loco, ubi illud repóni opórteret; forétque armis diriménda, ni Régiæ Præféctus ſuadéret Cívibus, ut abſéntis Regis voluntátem explorárent. Intéreà diſſenſiónis auctóres in matúrius acti consílium unanímiter convéniunt, ut ſacrum Beáti Vincéntii corpus ad Templum, quod tunc erat in Civitáte primárium, deferátur; id quod ſolémni pompa, & magno pópuli concúrſu factum eſt décimo ſéptimo Kaléndas Octóbris anno Redemptiónis humánæ milléſimo centéſimo ſeptuagéſimo tértio, Regni verò Alphónſi Primi quadragéſimo quinto. Nec deſuére plúrima, éaque pública, & apérta mirácula, quibus Translatiónis fides abúndè firmáta eſt.

℟. Cuſtodívit illum Dóminus ab inimícis, & à seductóribus tutávit illum, & certámen

támen dedit illi, ut vinceret: * Et sciret quóniam poténtior est sapiéntia. ℣. Descénditque cum illo in fóveam, & in vínculis non derelíquit eum, & dedit illi claritátem ætérnam. Et sciret. Glória Patri. Et sciret.

In tertio Nocturn. Antiph. Justus Dóminus Relíquias Martyris Vincéntii magnificáre diléxit.

Antiph. Ad níhilum dedúctus est malígnus in conspéctu Vincéntii, qui timéntes Dóminum gloríficat.

Antiph. Qui persecúti sunt corpus Vincéntii, cogitavérunt consília, quæ non potuérunt stabilíre.

℟. Magna est glória ejus in salutári tuo.

℣. Glóriam, & magnum decórem impónes super eum.

Léctio Sancti Evangélii secúndùm Joánnem.

Lectio vii. Cap. 12. d

IN illo témpore: Dixit Jesus Discípulis suis: Amen, amen dico vobis, nisi granum fruménti cadens in terram mórtuum fúerit, ipsum solùm manet. Et réliqua.

Homilía Sancti Augustíni Epíscopi.

Tract. 51. *in Joannem sub medium.*

IPse Dóminus Jesus erat granum mortificándum, & multiplicándum: mortificándum infidelitáte Judæórum, multiplicándum fide populórum. Jam verò exhórtans ad passiónis suæ sectánda vestígia. Qui amat, inquit, ánimam suam, perdet eam. Quod duóbus modis intélligi potest. Qui amat, perdet, id est, si amas, perdes. Si cupis vitam tenére in Christo, noli mortem timére pro Christo. Item álio modo: Qui amat ánimam suam, perdet eam: noli amáre, ne perdas: noli amáre in hac vita, ne perdas in ætérna vita.

℟. Beátus Christi athléta horréndo clausus ergástulo, Angelórum frequéntia, & lúminis claritáte relevátus, hymnum canébat: * Ac divína vallátus grátia, Angélico fovebátur obséquio. ℣. Agnóscit Vincéntius invictíssimus pro Christi nómine decertásse, mox depósito ónere carnis, almis cœtibus se esse addéndum. Ac divína vallátus grátia, Angélico fovebátur obséquio.

Lectio viii.

HOc autem, quod postériùs dixi magis habére vidétur Evangélicus sensus. Séquitur enim: Et qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam. Ergo quod

quod suprà dictum est: Qui amat, (subintellígitur in hoc mundo) ipse útique perdet: qui autem odit, (útique in hoc mundo) in vitam ætérnam ipse custódit eam. Magna, & mira senténtia, quemádmodum sit hóminis in ánimam suam amor, ut péreat, ódium ne péreat. Si malè amáveris, tunc odísti, si benè óderis, tunc amásti. Felíces, qui odérunt custodiéndo, ne perdant amándo.

℟. Cógnito sancto ejus abscéssu, judex insánus feris, & cánibus invícti Mártyris corpus prójici mandat lictóribus, sed mittitur avis inimíca cadavéribus, expósitas dapes servatúra jejúna, * Ut maióris victóriæ Vincéntio grátia conferátur. ℣. Datur nautis mergéndum corpus in flúctibus: sed qui spíritum intúlerat in cælum, mox rétulit ad sepúlchrum. Ut maióris. Glória Patri. Ut maióris.

Nona Lectio Ss. Euphemiæ, & sociorum, ut in Breviario.

AD LAUDES,

& per Horas, Antiph.

Vicit impium tyránnum vivens Vincéntius, vicit & mórtuus.

Antiph. Vivens torménta calcávit, mórtuus mare transnatávit.

Antiph. Ille gubernávit cadáver extínctum, qui ánimum dedit invíctum.

Antiph. Corpus Vincéntii cura Dómini custodítur, & in glória Dómini à Fidélibus honorátur.

Antiph. Exúlta, & lauda Dóminum Lisbóna felix, quia magnus in médio tui Sanctus Vincéntius.

Capitulum, & Hymnus, ut suprà in Vesperis.

℣. Justus ut palma florébit.
℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Ad Benedictus, Antiphona. In sanctitáte, & justítia appáruit. Vincéntius coram Dómino, quia odívit ánimam suam in hoc mundo.

Oratio.

Deus, qui gloriósi Mártyris tui Vincéntii corpus ad nos transférri voluísti: præsta, quæsumus, ut ejus précibus in ætérnam beatitúdinem transferámur. Per Dóminum.

Et fit commemor. Ss. Euphemiæ, & socior. Antiph. Vestri capilli.
℣. Exultábunt Sancti.

Ad Horas min. Antiph. de Laud. reliqua de Communi Martyr.

In ii. Vesp. omnia, ut in primis, sed loco ultimi, Psalmus Crédidi.

℣. Justus ut palma florébit.
℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Et

Et fit commem. B. Petri de Arbues.

DIE XVII. SEPTEMBRIS.

In Festo B. Petri de Arbues Martyris, duplex.

Omnia de Commun. unius Martyris, præter ea, quæ hic habentur propria.

Oratio.

PRæsta, quæsumus omnípotens Deus, ut Beáti Petri Mártyris tui fidem cóngrua devotióne sectémur, qui pro ejúsdem Fidei defensióne martyrii palmam méruit obtinére. Per Dóminum.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occur.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

PEtrus cognoménto de Arbues, Epilæ in Aragónia natus à piis, honéstisque paréntibus, unà cum sánguinis claritáte hausit & pietátem; ab ipsis enim incunábulis óptimis móribus imbútus, puerítiam ita transégit, ut nihil priùs in ætáte illa sibi dúxerit excoléndum, quàm litteras, & Christiánas virtútes. Adoléscens liberálibus disciplínis erudítus, Bonóniæ in Collégio Hispanórum adscríptus, doctrína, & eruditióne adeò excélluit, ut inde magistrálem Sacræ Theológiæ láuream reportáverit. Mox in Canónicum Metropolitánæ Ecclésiæ Cæsarauguftánæ adscítus, regulárem, quam vóverat, obfervántiam constantíssimè semper retínuit, suæque non modò, sed aliénæ étiam salúti pari stúdio, ac solicitúdine invígilans, virtútibus ómnibus sic enítuit, ut Ferdinándus, & Elisabétha Cathólici Hispaniárum Reges, cùm vellent è suis fínibus Judáicam exterminâre perfidiam, ipsum Fidei Inquisitórem in Aragónia primùm eligéndum curáverint.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, & custodívit eum ab inimícis, & à seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descénditque cum illo in fóveam: & in vínculis non derelíquit eum. Et dedit illi.

Lectio v.

CUm ígitur sacrum Inquisitiónis munus pari ánimi ardóre, & Fidei Cathólicæ emoluménto perágeret, magnum sibi contráxit ódium ab iis, qui Judáicam perfidiam mórdicùs asserébant, in eámque relápsi fuérant. De quorum insídiis per amícos, & consanguíneos cértior factus, eísque suadéntibus, ut si vitæ consúlere vellet, suscépto se ministério abdicáret, constánter respóndit libénter se talem

talem ob causam mortem subitúrum, idque únicè optáre, se ex malo Sacerdóte bonum fieri Mártyrem. Nec ábfuit optátis evéntus, quippe nefárii illi hómines, hábito sæpè inter se conventículo, necem in Dei servum machináti sunt, condúctisque ad scelus perpetrándum sicáriis, Petrum ante chorum Metropolitánæ Ecclésiæ orántem in princípio noctúrni Officii, cùm ea Psalmi verba decantaréntur: Quadragínta annis próximus fui generatióni huic, & dixi: Semper hi errant corde: iteráto vúlnere letháliter affecérunt.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. Et voluntáte.

Lectio vi.

BIduum supervíxit, Deo grátias agens, quòd pro Fidei defensióne mortem mererétur oppétere: eúmdémque pro interfectóribus suis déprecans, post recépta Ecclésiæ Sacraménta, décimo quinto Kaléndas Octóbris anno à reparáta salúte millésimo quadringentésimo octogésimo quinto obdormivit in Dómino. Non defuérunt post mortem prodígia, quorum illud in primis memorábile, ac Apostólicæ Sedis judício comprobátum, multiplicátio nimírùm, & effervescéntia effúsi cruóris in eódem Ecclésiæ Metropolitánæ loco, in quo martyrium passus fúerat. Ejus corpus ibídem Ferdinándus, & Elisabeth Regáli munificéntia elaboráto mármore sepeliéndum curárunt. In Sacéllum deínde à Canonicórum ejúsdem Ecclésiæ Collégio magníficè constrúctum translátum fuit, ubi ad præsens honoríficè cóllitur. Ejúsque memória ut in Catálogo Beatórum Mártyrum in pósterum haberétur, Alexánder Papa Séptimus indúlsit.

℟. Stola jucunditátis índuit eum Dóminus: * Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitæ, & intelléctus: & aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum. Et corónam. Glória Patri. Et corónam.

In tertio Nocturno, Homilia in Evangel. Nihil est opértum, quod non revelábitur, *ut in Festo S. Callisti die* 14. *Octobris.*

In secundis Vesperis fit commem. S. Thomæ de Villanova, ut in Breviario.

FES-

FESTA OCTOBRIS.

DIE I. OCTOBRIS.

In Festo Ss. Martyr. Verissimi, Maximæ, & Juliæ, duplex maius.

Omnia de Communi plurimorum Martyrum, præter Orationem & Lectiones, quæ sequuntur.

Oratio.

DEus, qui nos ad Sanctórum Mártyrum tuórum Veríssimi, Máximæ, & Júliæ solemnitátem tríbuis pervenire: concéde quæsumus; ut quorum natalítia celebrámus, eórum étiam accendámur exémplis. Per Dóminum nostrum.

Deinde fit commem. Sancti Hieronymi, ut in Breviario.

Lectiones primi Nocturni, Fratres, debitóres sumus, *de Communi plurimorum Martyrum.*

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

VEríssimus, Máxima, & Júlia Lisbonénses in Lusitánia, quos non solùm caro, & sanguis, sed eádem Fides, & pássio verè fecit esse germános: in persecutióne Diocletiáni, cùm ejus crudelíssimi, & impiíssimi satéllites minácibus edíctis per fora, & vicos propósitis Christiános deterrérent, contémpto omni vitæ discrímine, impietátem, & sævítiam tyránni liberè redarguéntes se Christiános esse, & veræ Religiónis cultóres, & pro ejus defensióne alácriter mortem simul subitúros líberè, & ultrò, & públicè profitebántur. Compérta ígitur Sanctórum constántia, judex sacrilegus primò dúlcibus verbis, & pollicitatiónibus, admixtis insuper minis, à senténtia illos conabátur avértere, & ad simulacrórum vanitátem pellícere nitebátur. Sed cùm illi minimè acquiéscerent, ardénti ira replétus jussit eos in tenebrósum cárcerem detrúdi, & multis diébus fame, & inédia maceràri.

℟. Sancti tui Dómine mirábile consecúti sunt iter, serviéntes præcéptis tuis, ut inveniréntur illæsi in aquis válidis: * Terra appáruit árida: & in mari rubro via sine impediménto. ℣. Quóniam percússit petram, & fluxérunt aquæ, & torréntes innundavérunt. Terra appáruit árida: & in mari rubro.

Lectio v.

CUm verò nec cárceris squalóre, nec diutúrna fame viri sancti áliquo modo frangeréntur, jubet ímpius judex verbéribus, & equúleo eos tándiù torquéri, quoadúsque víscera penè de-

denudaréntur: deinde víscerum intránea úngulis ferreis excarnificári, candentibúsque láminis exúri. Attamen inter hæc torménta Dei athlétæ fortióres apparébant, suppliciórumque dolóres hymnis, & cæléstis Beatitúdinis certa spe minuébat. Quare íterum jussu carníficis áliis torméntis exercéntur, & depósiti ex equúleis, per pedes fúnibus ligáti per vicos, & platéas, urbísque prærúpta crudelíssimè trahúntur. Videns autem iníquus judex sanctos Mártyres his ómnibus, nec superári, nec áliquo modo flecti, sed veheméntiùs exultáre, & in Christi laudes incessánter ore resólvere, jussit eórum cápita amputári: & sic martyrii palmam Kaléndis Octóbris sunt consecúti.

℟. Vérbera carníficum non timuérunt Sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine: * Ut hæredes fierent in domo Dómini. ℣. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia. Ut hæredes.

Lectio vi.

NEc tamen sævi júdicis adhuc satiáta est crudélitas: sed quos vivos superáre minimè póterat, eos mórtuos pérsequi non déstitit. Sacra enim eórum córpora, quæ inhumáta cánibus, & ávibus dilaniánda projécerat, cùm vidísset illæsa, saxórum mólibus alligáta in médio mari demérgi fecit. Sed is, cui de Sanctis suis precípua cura est, quos in terra victóres fécerat, ita & in mari glorióſos osténdit. Non enim tam celériter sacrílegi minístri júdici, quæ præcéperat, facta esse nuntiavérunt, quin celériùs córpora, quæ in profúndo maris tenéri arbitrabántur, ad líttus fuíssent revérsa. Quæ Christiáni piè colligéntes ad littus sepeliérunt; & ibi póstea in eórum honórem ad locum, qui adhuc Sanctos, vulgò dícitur, Ecclésia constrúcta est, in qua débita veneratióne culti quievérunt usque ad témpora Joánnis hujus nóminis Secúndi Lusitániæ Regis, qui eórum córpora ad Cœnóbium Moniálium Sancti Jacóbi, ut augustiórem locum, transferénda curávit.

℟. Tamquam aurum in fornáce probávit eléctos Dóminus, & quasi holocáusti hóstiam accépit illos, & in témpore erit respéctu illórum: * Quóniam donum, & pax est eléctis Dei. ℣. Qui confidunt in illum intélligent veritátem; & fidéles in dilectióne acquiéscent illi. Quóniam. Glória Patri. Quóniam.

In tertio Noct. Homil. in Evang.

Evang. Cùm audiéritis prælia, & seditiónes, *de Communi plurimor. Martyr.*

℟. *viii.* Hæc est vera fratérnitas.

In ii. Vesperis fit commemor. Ss. Angelorum Custodum.

DOMINICA II. OCTOBRIS.

Officium de Patrocinio S. Joseph. Sponsi B. M. V. duplex ii. classis.

Ad Vesperas, Antiphona.

Invocávi Patrem, *cum reliquis, ut infrà ad Laud.*

Psal. Dixit Dóminus, *cum reliquis de Dominica, & loco ultimi, Psalm.* Laudáte Dóminum omnes Gentes.

Capitulum. Genes. 39. 5.

BEnedixit Dóminus dómui Ægyptii propter Joseph, & multiplicávit tam in ædibus, quàm in agris cunctam ejus substántiam.

Hymnus.

TE Joseph célebrent ágmina Cælitum,
Te cuncti résonent Christíadum chori,
Qui clarus méritis, junctus es inclytæ
Casto fœdere Vírgini.

Almo cùm túmida gérmine Vírginem,
Admírans, dúbio tángeris anxius,
Afflátu súperi Fláminis Angelus,
Concéptum Púerum docet.

Tu natum Dóminum stringis, ad éxteras
Ægypti prófugum tu séqueris plagas:
Amíssum Sólymæ quæris, & ínvenis,
Miscens gáudia flétibus.

Post mortem réliquos mors pia cónsecrat,
Palmámque eméritos glória súscipit:
Tu vivens, Súperis par, frúeris Deo
Mira sorte beátior.

Nobis sat fúerit morte cadéntibus,
Dextram si déderis, súrgere spíritu,
Et rupto lútei paríete córporis,
Regem cérnere glóriæ.

Mœstis, alma Trias, parce cliéntibus,
Da Joseph méritis sídera scándere,
Ut tandem líceat nos tibi pérpetim
Gratum prómere cánticum.
Amen.

℣. Factus est refúgium páuperi.

℟. Adjútor in opportunitátibus, in tribulatióne.

Ad Magnificat, Antiphona.

Si me Regem vobis constitúitis: veníte, & sub umbra mea requiéscite.

Oratio.

PRótege, Dómine, pópulum tuum: & Beáti Joseph Genitrícis tuæ Sponsi

si patrocínio confidéntem perpétua defensióne consérva. Qui vivis, & regnas cum Deo Patre, &c.

Et fit commemor. Dominicæ.

Ad Matutinum, Invitator. Súbditum Mariæ, ac Joseph, * Christum Dei Filium, adorémus.

Psalm. Venite, exultémus.

Hymnus. Te, Joseph célebrent, *ut in Vesp.*

In primo Nocturn. Antiph. Factus est Protéctor meus: Protéctor est ómnium sperántium in se.

Psalmi de Communi Confessoris non Pontif.

Antiph. Adjútor meus, & Protéctor meus, in ipso sperávit cor meum, & adjútus sum.

Antiph. Est bráchium nostrum in manè, & salus nostra in témpore tribulatiónis.

℣. Factum est refúgium páuperi.

℟. Adjútor in opportunitátibus, in tribulatióne.

De Lib. Genes. cap. 39. 2.

Lectio i.

FUit Dóminus cum Joseph, & erat vir in cunctis prósperè agens: habitávitque in domo dómini sui, qui óptimè nóverat Dóminum esse cum eo, & ómnia, quæ géreret, ab eo dirigi in manu illíus. Invénitque Joseph grátiam coram dómino suo, & ministrábat ei: à quo Præpósitus ómnibus gubernabat créditam sibi domum, & univérsa, quæ ei trádita fúerant. Benedixitque Dóminus dómui Ægyptii propter Joseph, & multiplicávit tam in ædibus, quàm in agris cunctam ejus substántiam.

℟. Fuit Dóminus cum Joseph, & misértus illius dedit ei grátiam in conspéctu principis cárceris: * Qui trádidit in manu illíus univérsos vinctos. ℣. Edúces me de láqueo, quem statuérunt mihi, quóniam tu es Protéctor meus. Qui trádidit.

Lectio ii.

PLácuit Pharaóni consílium Joseph, & cunctis minístris ejus, locútusque est ad eos: Num invenire potérimus talem virum, qui spíritu Dei plenus sit? Dixit ergo ad Joseph: Quia osténdit tibi Deus ómnia, quæ locútus es, numquid sapientiórem, & consimilem tui invenire pótero? Tu eris super domum meam, & ad tui oris impérium cunctus pópulus obédiet, uno tantùm Regni sólio te præcédam. Dixitque rursus Pharao ad Joseph: Ecce constítui te super univérsam terram Ægypti. Tulítque ánnulum de manu sua, & dedit eum in manu ejus; vestivitque eum stola

stola byssína, & collo torquem áuream circumpósuit. Fecitque eum ascéndere super currum suum secúndum, clamánte præcóne, ut omnes coram eo genuflécterent, & Præpósitum esse scirent univérsæ terræ Ægypti.

℟. Joseph in témpore angústiæ custodívit mandátum: * Et factus est Dóminus Ægypti. ℣. Dixit Phárao ad Joseph: Tu eris super domum meam, & ad tui oris impérium cunctus pópulus obédiet, uno tantùm Regni sólio te præcédam. Et factus est.

Lectio iii.

IGitur transáctis septem ubertátis annis, qui fúerant in Ægypto, cœpérunt veníre septem anni inópiæ, quos prædíxerat Joseph: & in univérso orbe fames præváluit, in cuncta autem Ægypto panis erat. Qua esuriénte, clamávit pópulus ad Pharaónem aliménta petens. Quibus ille respóndit: Ite ad Joseph, & quidquid ipse vobis díxerit, fácite. Crescébat autem quotídie fames in omni terra: aperuítque Joseph univérsa hórrea, & vendébat Ægyptiis: nam & illos opprésserat fames. Omnésque provínciæ veniébant in Ægyptum, ut émerent escas: & malum inópiæ temperárent.

℟. Clamávit pópulus ad Pharaónem aliménta petens, quibus ille respóndit: Ite ad Joseph. ℣. Crescébat autem quotídie fames in terra, apéruitque Joseph univérsa hórrea. Ite. Glória Patri. Ite.

In secundo Nocturno.

Antiph. Refúgium meum, Suscéptor meus, & Liberátor meus: Protéctor meus, in ipso sperávi.

Antiph. Circumdedérunt me mala, quorum non est númerus: Adjútor meus, & Protéctor meus tu es.

Antiphona. Edúces me de láqueo, quem abscondérunt mihi, quóniam tu es Protéctor meus.

℣. Adjútor meus, & Suscéptor meus es tu.

℟. Adjuva me, & salvus ero.

Sermo Sancti Bernárdi Abbátis.

Serm. 2. de S. Victore.

Lectio iv.

GAudéte in Dómino, dilectíssimi, qui inter contínua suæ pietátis benefícia indúlsit hóminem mundo, cujus multi salvaréntur exémplo. Iterùm dico, gaudéte, quòd factus de médio appropiávit Deo, ut multò plures ejus intercessióne salvéntur. Habet ex homínibus, cui hóminum peccáta donet miséricors, & mi-

miserátor Dóminus. Habet tempus, & locum intercedéndi pius, & misericors Advocátus; & quidem locum quiétum, & tempus feriátum. In terris visus es, ut esset exémplo; in Cælum levátus est, ut sit patrocínio. Hic infórmat ad vitam, illic invitat ad glóriam. Factus est Mediátor ad regnum, qui fuit incitátor ad opus. Bonus Mediátor, qui sibi jam póstulans nihil, totum in nos transférre desiderat, & supplicántis affectum, & supplicatiónis fructum. Quid enim quærat sibi, qui nullíus eget.

℟. Circumspéxit, & non erat auxiliátor; quæsívi, & non erat, qui adjuváret; * Noli timére, ego Protéctor tuus sum. ℣. Voca, si est, qui tibi respóndeat; & ad áliquem Sanctórum convértere. Noli timére.

Lectio v.

SEdet veteránus miles débita jam suavitáte, & securitáte replétus: secúrus quidem sibi, sed nostri sollícitus. Non enim cum putrédine carnis simul se éxuit viscéribus pietátis: nec sibi sic induit stolam glóriæ, ut nostræ páriter misériæ, suæque ipsius misericórdiæ obliviónem indúerit. Non est terra obliviónis, quàm ánima Joseph inhábitat; non terra labóris, ut occupétur in ea: non dénique terra, sed Cælum est. Numquid Cæléstis habitátio ánimas, quas admíttit, indúrat, aut memória privat, aut spóliat pietáte? Fratres, latitúdo Cæli dilátat corda, non arctat: exhilarat mentes, non aliénat; affectiónes non cóntrahit, sed exténdit.

℟. Adjútor meus, & Protéctor meus: * In ipso sperávit cor meum, & adjútus sum. ℣. Tribulatiónes cordis mei multiplicátæ sunt. In ipso sperávit.

Lectio vi.

O Victrix ánima, quæ sicut passer tránsvolans mundi láqueos evasísti, réspice ad incáutas ánimas intricátas illis, periclitántes in illis, ut tuo patrocínio eruámur. O miles emérite, qui Christiánæ milítæ duris labóribus Angélicæ felicitátis réquiem commutásti, réspice ad imbélles, & imbecílles commilitónes tuos, qui inter hostíles gládios, & spirituáles nequítias tuis láudibus occupámur. O victor inclyte, qui & de terra, & de Cælo gloriosíssimè triumphásti, illíus glóriam nobíliter supérbus despíciens, & hujus regna piè violéntus dirípiens, réspice de Cælo ad vinctos terræ: ut hæc sit tuórum consummátio triumphó-

phórum, si & nobis demum te vicísse sentiámus. Eia fortis Athléta, dulcis Patróne, Advocáte fidélis, exúrge in adjutórium nobis: ut & nos de nostra ereptióne gaudeámus, & tu de plena victória gloriéris.

℟. Circumdedérunt me mala, quorum non est númerus: * Adjútor meus, & Protéctor meus tu es. ℣. Expúgna impugnántes me, apprehénde arma, & scutum, & exúrge in adjutórium mihi. Adjútor meus. Glória Patri. Adjútor meus.

In tertio Nocturno.

Antiph. Scutum meum, & cornu salútis meæ, elevátor meus, & refúgium meum, de iniquitáte liberábis me.

Antiph. Dedísti mihi clypeum salútis tuæ: pérsequar inimícos meos, & cónteram, cadent sub pédibus meis.

Antiph. Dedísti protectiónem salútis meæ, & déxtera tua suscépit me.

℣. Adjútor meus, & Protéctor meus.

℟. In ipso sperávit cor meum.

Léctio Sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Léctio vii. *Cap.* 2. 42.

Cum factus esset Jesus annórum duódecim, ascendéntibus illis Jerosólymam secúndùm consuetúdinem diéi festi, consummatísque diébus, cùm redírent, remánsit puer Jesus in Jerúsalem. Et réliqua.

Homilía Sancti Bernárdi Abbátis.

Homil. sup. Missus est.

Erat, inquit, súbditus illis. Quis? Quibus? Deus homínibus, Deus, inquàm, cui Angeli súbditi sunt, cui Principátus, & Potestátes obédiunt, súbditus erat Maríæ: nec erat tantùm Maríæ, sed étiam Joseph propter Maríam. Miráre ergo utrúmlibet, & élige quid ámpliùs miréris: sive Fílii benigníssimam dignatiónem, sive Matris excellentíssimam dignitátem. Utrímque stupor, utrímque miráculum: & quod Deus fœminæ obtémperet, humílitas absque exémplo: & quod Deo fœmina principétur, sublímitas sine sócio. In láudibus Vírginum singuláriter cánitur, quòd sequúntur Agnum quocúmque íerit. Quibus ergo láudibus júdicas dignam, quæ étiam præit?

℟. Descéndit Jesus cum eis, & venit Názareth: * Et erat súbditus illis. ℣. Proficiébat sapiéntia, & ætáte, & grátia apud Deum, & homines. Et erat.

Lectio viii.

DIsce homo obedíre, disce terra subdi, disce pulvis obtemperare. De Auctóre tuo loquens Evangelista: Et erat, inquit, súbditus illis, haud dúbium quin Mariæ, & Joseph. Erubésce supérbe cinis, Deus se humíliat, & tu te exáltas? Deus se homínibus subdit; & tu domināri géstiens homínibus, tuo te præpónis Auctóri? De ipso namque dictum est: Et erat súbditus illis. Si hóminis, ò homo, imitári dedignáris exémplum, certè non erit tibi indignum sequi Auctórem tuum. Si non potes fórsitan sequi eum quocúmque ierit, dignáre vel sequi quo tibi condescéndit.

℟. In médio umbræ mortis non timébo mala: * Quóniam tu mecum es. ℣. Et misericórdia tua subsequétur me ómnibus diébus vitæ meæ, ut inhábitem in domo Dómini in longitúdinem diérum. Quóniam. Glória Patri Quóniam.

Lectio ix. de Homilia Dominicæ.

AD LAUDES,

& per Horas, Antiph.

INvocávi Patrem Dómini mei: ut non derelinquat me in die tribulatiónis.

Antiph. Factus est Protéctor meus: Protéctor est ómnium sperántium in se.

Antiph. Protector vitæ meæ, adjútor meus esto, ne derelinquas me.

Antiph. In médio umbræ mortis non timébo mala, quóniam tu mecum es.

Antiph. Confitébor nómini tuo, quóniam adjútor, & protéctor factus es mihi.

Capitulum. Genes. 39. 5.

BEnedíxit Dóminus dómui Ægyptii propter Joseph, & multiplicávit tam in ædibus, quàm in agris cunctam ejus substántiam.

Hymnus.

COElitum, Joseph, decus, atque nostræ
Certa spes vitæ, columenque mundi,
Quas tibi læti cánimus, benignus
Súscipe laudes.
Te Sator rerum státuit pudicæ
Vírginis Sponsum, vóluitque Verbi
Te Patrem dici, dedit & ministrum
Esse salútis.
Tu Redemptórem stábulo jacéntem,
Quem chorus Vatum cécinit futúrum,
Aspicis gaudens, humilísque natum
Numen adóras.
Rex Deus regum, Dominátor orbis,

Cujus ad nutum tremit inferórum
Turba, cui pronus famulátur æther,
Se tibi subdit.
Gentis humánæ datus in Patrónum,
Pro tuo quid non póteris Cliénte.
Súbditum cernis tibi si vel ipsum
Omnipoténtem?
Laus sit excélsæ Tríadi perénnis,
Quæ tibi præbens súperos honóres,
Det tuis nobis méritis beátæ
Gáudia vitæ. Amen.

℣. Speráte in eo omnis congregátio pópuli.

℟. Effúndite coram illo corda vestra.

Ad Benedictus, Antiphona. Quóniam tu es Protéctor meus, in manus tuas comméndo spíritum meum.

Oratio.

PRótege, Dómine, pópulum tuum: & beati Joseph Genitrícis tuæ Sponsi patrocínio confidéntem perpétua defensióne consérva. Qui vivis, & regnas cum Deo Patre.

Fit commemoratio Dominicæ occur.

Ad Tertiam, Antiphona. Factus est.

Capitulum. Genes. 39. 5.

BEnedixit Dóminus dómui Ægyptii propter Joseph, & multiplicávit tam in ædibus, quam in agris cunctam ejus substántiam.

℟. *br.* Factus est, * Refúgium páuperi. Factus. ℣. Adjútor in opportunitátibus, in tribulatióne. Refúgium. Glória Patri. Factus.

℣. Adjútor meus, & Suscéptor meus es tu.

℟. Adjuva me, & salvus ero.

Ad Sextam, Antiphona. Protéctor.

Capitulum. Genes. 39. 21.

FUit autem Dóminus cum Joseph, & misértus illius dedit ei grátiam in conspéctu Príncipis cárceris, qui trádidit in manu illíus univérsos vinctos.

℟. *br.* Adjútor meus, * Et Suscéptor meus es tu. Adjútor. ℣. Adjuva me, & salvus ero. Suscéptor. Glória Patri. Adjútor meus, & Suscéptor meus es tu.

℣. Adjútor meus, & protéctor meus.

℟. In ipso sperávit cor meum.

Ad Nonam, Antiphona. Confitébor.

Capitulum. Genes. 45. 8.

DEus fecit me quasi Patrem Pharaónis, & univérsæ domus ejus, ac Príncipem in omni terra Ægyptii.

℟. *br.* Adjútor meus. * Et Protéctor meus. Adjútor. ℣. In ipso sperávit cor meum.

Et Protéctor. Glória Patri. Adjútor.

℣. Speráte in eo omnis congregátio pópuli.

℟. Effúndite coram illo corda vestra.

In ii. Vesp. Antiphonæ, ut suprà in Laudibus. 18. *Psalm, & Capitulum, ut in primis Vesperis, ut suprà.* 13.

Hymnus.

Iste quem læti cólimus, Fidéles,
Cujus excélsos cánimus triúmphos,
Morte felíci méruit perénnis
Gáudia vitæ.

O' nimis felix, nimis ò beátus!
Cujus extrémam vígiles ad horam
Christus, & Virgo simul astitérunt
Ore seréno.

Hic stygis victor, láqueo solútus
Carnis, ad sedes plácido sopóre
Migrat ætérnas, rutilísque cingit
Témpora sertis.

Inde qui vitæ fúerat Cliéntum,
Ipse sit mortis quoque Sospitátor:
Ac triumpháto phlegetónte lætos
Ducat ad astra.

Sint tibi plausus, tibi sint honóres,
Trine, qui regnas Deus, & corónas
Aureas Servo tribuis fidéli
Omne per ævum.
Amen.

℣. Speráte in eo omnis congregátio pópuli.

℟. Effúndite coram illo corda vestra.

Ad Magnificat, Antiph. Nemo natus est qualis Joseph, Princeps fratrum, firmaméntum gentis, rector fratrum, stabiliméntum pópuli.

Oratio, ut suprà. 19.

Et fit commem. Dominicæ occurrentis.

DIE X. OCTOBRIS.

In Festo S. Francisci Borgiæ Conf. Patroni Regni Portugalliæ, & Dominiorum, duplex primæ Classis, cum octava.

Omnia dicuntur de Comm. Confess. non Pontificis, præter ea, quæ hic ponuntur.

In Hymn. Iste Conféssor *mutatur Vers. & dicitur:* Hac die lætus méruit suprémos, Laudis honóres.

Oratio.

Domine Jesu Christe, veræ humilitátis, & exémplar, & præmium: quæsumus, ut sicut Beátum Francíscum in terréni honóris contémptu imitatórem tui glorióſum effecísti; ita nos ejúsdem imitatiónis, & glóriæ

riæ tribuas esse consórtes. Qui vivis, & regnas, &c.

In primo Noct. Lectiones de Communi secundo loco, Beátus vir.

In ii. Nocturno, Lectiones propriæ, ut in Breviario.

In iii. Noct. Homil. in Ev. de Comm. Abbatum.

DIE XI. OCTOBRIS.

Secunda die infra Octavam S. Francisci Borgiæ.

In primo Nocturno, Lect. de Scriptura occur.

In secundo Nocturno.

Sermo Sancti Joánnis Chrysóstomi.

Orat. de S. Philog. tom. 3.

Lectio iv.

BEáti Francísci dies, cujus festivitátem celebrámus, ad ipsíus rectè factórum enarratiónem línguam nostram evocávit: siquidem Beátus iste ad tranquíllam, omnísque perturbatiónis expértem vitam tránsiit: eóque navígium áppulit, ubi deinceps non póterit metúere naufrágium, nec ullam ánimi perturbatiónem aut dolórem. Et quid mirum est, si locus ille purus est ab omni moléstia ánimi, cùm Paulus homínibus adhuc in hac vita degéntibus loquens dicat: Semper gaudéte, sine intermissióne oráte?

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, & custodívit eum ab inimícis, & à seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, & osténdit illi Regnum Dei. Et dedit illi.

Lectio v.

QUòd si hic, ubi morbi, ubi infectatiónes, ubi præmatúræ mortes, ubi calúmniæ, ubi invídiæ, ubi perturbatiónes, ubi iræ: ubi cupiditátes, ubi innumerábiles insídiæ, ubi quotidiánæ solicitúdines, ubi perpétua, sibíque succedéntia mala sunt, innúmeros ex omni parte dolóres afferéntia, Paulus dixit fieri posse, ut semper gaudeámus, si quis páululum ex rerum humanárũ flúctibus erexerit caput, vitámque suam rectè composúerit: multò magis, postquam hinc demigravérimus, fácilè cómpotes érimus ejus boni, cùm hæc ómnia subláta fúerint, advérsa valetúdo, morbi, peccándi matéria, ubi non est meum, ac tuum, frígidum illud verbum, & quidquid est malórum in vitam nostram invehens, innumeráque gignens bella.

℟. Amávit eum Dóminus, & ornávit eum; stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas Paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fidei, & ornávit eum. Et ad portas.

Le-

Lectio vi.

QUamóbrem maximóperè grátulor hujus Sancti felicitáti, quòd quamquam translátus est, atque hanc, quæ apud nos est, civitátem relíquit, tamen in álteram adscríptus est civitátem, nempe Dei, & digréssus ab hac Ecclésia, ad illam pervénit, quæ est primogenitórum descriptórum in Cælis, ac relíctis hisce festis, tránsiit ad celebritátem Angelórum. Etenim quòd & cívitas sursum sit, & Ecclésia, & celébritas, audi Paulum dicéntem: Accessístis ad civitátem Dei vivéntis, Jerúsalem cæléstem, & Ecclésiam primitivórum, qui conscrípti sunt in Cælis, & ad multórum míllium Angelórum frequéntiam.

℟. Iste homo perfécit ómnia, quæ locútus est ei Deus, & dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus Géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, & pervénit ad cæléstia regna. Quia te vidi. Glória Patri. Quia te vidi.

In tertio Nocturno.

Léctio Sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vii. *Cap.* 19.

IN illo témpore: Dixit Petrus ad Jesum: Ecce nos relíquimus ómnia, & secúti sumus te: quid ergo erit nobis? Et réliqua.

Homilía Venerábilis Bedæ Presbyteri.

Homil. in Natali S. Benedicti.

PErféctus ille est, qui ábiens, vendit ómnia, quæ habet, & dat paupéribus, ac véniens séquitur Christus: habébit enim thesáurum non deficiéntem in Cælis. Unde, interrogánte Petro, dixit tálibus Jesus: Amen dico vobis: quòd vos, qui secúti estis me, in regeneratióne, cùm séderit Fílius hóminis in sede majestátis suæ, sedébitis & vos super sedes duódecim judicántes duódecim tribus Israel: in hac quippe vita pro ejus nómine laborántes, in ália præmium speráre dócuit: id est, in regeneratióne, cùm vidélicet in vitam immortálem fuérimus resurgéndo regeneráti, qui in vitam cadúcam mortáliter erámus geniti.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, & de omni corde suo laudávit Dóminum: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, & pérmanens in innocéntia sua. Ipse intercédat.

Le-

Lectio viii.

ET justa prorsus retribútio, ut qui hic pro Christo humánæ glóriam celsitúdinis neglexérunt, illic à Christo júdices glorificári, singuláriter cum eo assídeant, qui à sequéndis ejus vestígiis nulla ratióne póterant avélli. Nemo autem putet duódecim tantùm Apóstolos, quia pro Juda prævaricánte, Mathías eléctus est, tunc esse judicatúros: sicut nec duódecim solæ sunt tribus Israel judicándæ: alióquin tribus Levi, quæ tértia décima est, injudicáta recédet.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, & lucérnæ ardéntes in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus expectántibus Dóminum suum, quando revertátur à núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis, qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et vos. Glória Patri. Et vos.

Lectio ix.

ET Paulus, qui tértius décimus est Apóstolus, judicándi sorte privábitur; cùm ipse dicat: Nescítis, quia Angelos judicábimus, quanto magis sæculária? Sciéndum namque est, omnes, qui ad exémplum Apostolórũ sua reliquérunt ómnia, & secúti sunt Christum, júdices cum eo ventúros, sicut étiam ómnium mortálium genus esse judicándum. Quia enim duodécimo sæpè número solet in Scriptúris univérsitas designári; per duódecim sedes Apostolórum, ómnium numerósitas judicántium; & per duódecim tribus Israel univérsitas eórum, qui judicándi sunt, osténditur.

Te Deum laudámus.

DIE XIII. OCTOBRIS.

Tertia die infra octavam S. Francisci Borgiæ.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occur.

In secundo Nocturno.

Sermo Sancti Joánnis Chrysóstomi.

De S. Philogonio.

Lectio iv.

AD hanc beátam réquiem tránsiit Beátus Franciscus. Quænam igitur orátio par sit viri láudibus, quem Deus tam felíci sorte dignátus est? Non est ulla, sed age, dic mihi, num idcircò silébimus? Et cujus rei grátia convénimus? An dicémus nos haud posse magnitúdinem gestórũ oratióne cónsequi? Atque ob hoc ipsum necésse est dícere, quandóquidem hæc est præcípua laudum illíus pars, quòd factis verba æquiparári non possint. Nam quorum benefácta natúram étiam súpe-

perant mortálem, perspícuum est, quod horum laudes excédunt línguam humánam. Haud tamen ob id aspernábitur officium nostrum, quod pro víribus præstámus, sed suum imitábitur Dóminum. Síquidem & ille, víduæ duos tantùm óbolos dejiciénti in gazophylácio, non tantùm duórum oboló-rum mercédem réddidit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, & custodivit eum ab inimícis, & à seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, & osténdit illi Regnum Dei. Et dedit.

Lectio v.

PRoínde quamvis nostræ facultátes exíguæ sint, minimíque pretii, áttamen quæ póssumus offérimus. Et licèt non respóndeant magnitúdini meritórum ánimæ præclári, jústique Francísci, tamen hoc ipsum celsitúdinis illíus máximum fúerit arguméntum, quod nec pusílle repéllat, sed idem fáciat, quod solent dívites: síquidem illi, cùm accéperint à tenúibus exígua, quibus non egent, sua vicíssim appónunt, remunerántes eos, qui, quod póterant, obtúlerint. Itidem & hic, cùm accéperit à nobis laudem verbis peráctam, qua nequáquam eget, redonábit nobis per ipsa facta benedictiónem, qua semper uti possímus.

℟. Amávit eum Dóminus, & ornávit eum: stolam glóriæ induit eum, * Et ad portas Paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fidei, & ornávit eum. Et ad portas.

Lectio vi.

UNde igitur laudatiónem illíus auspicábimur? An à Magistrátu, quem Spíritus illi trádidit grátiæ? Nam mundáni magistrátus nequáquam possunt Christianórum demonstráre virtútes; quin pótius frequénter habent accusatiónem malítiæ: quam ob causam? quóniam, & solicitúdines amicórum, & circumcursatiónes, & adulatiónes, áliaque permúlta, his fœdióra, magistrátus solent conciliáre. Cæterùm ubi Deus suo suffrágio designárit áliquem, incorrúptum suffrágium, aliénum ab omni suspicióne judícium, indubitáta fúerit deléctí comprobátio, propter ejus, qui delégit, auctoritátem.

℟. Iste homo perfécit ómnia, quæ locútus es ei Deus, & dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus Géntibus.

℣.

℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, & pervénit ad cæléstia Regna. Quia te. Glória Patri. Quia te.

In tertio Nocturno.

Léctio Sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vii. *Cap.* 19.

IN illo témpore: Dixit Petrus ad Jesum: Ecce nos relíquimus ómnia, & secúti sumus te: quid ergo erit nobis? Et réliqua.

Homilía Venerábilis Bedæ Presbyteri.

In Natali S. Benedicti.

DUo sunt órdines electórum in judício futúri: unus judicántium cum Dómino, de quibus hoc loco mémorat, qui reliquérunt ómnia, & secúti sunt illum: álius judicandórum à Dómino, qua non quidem ómnia sua páriter reliquérunt, sed de his tamen, quæ habébant quotidiánas dare eleemósynas Christi paupéribus curábant. Unde & auditúri sunt in judício: Venite, benedícti Patris mei, possidéte præparátum vobis Regnum à constitutióne mundi. Esurívi enim, & dedístis mihi manducáre, sitívi, & dedístis mihi bíbere.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, & de omni corde suo laudávit Dóminum: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, abstinens se ab omni ópere malo, & pérmanens in innocéntia sua. Ipse intercédat.

Lectio viii.

SEd & reprobórum duos ibi futúros órdines, Dómino narránte, comperímus. Unum eórum, qui fidei Christiánæ mystériis initiáti, ópera fidei exercére contémnunt, quibus in judício testátur: Discédite à me maledícti in ignem ætérnum, qui præparátus est diábolo, & angelis ejus: esurívi enim, & non dedístis mihi manducáre. Alterum eórum, qui fidem, & mystéria Christi, vel numquam suscepére, vel suscéptam per apostasiam deseruére, de quibus dicit: Qui autem non credit, jam judicátus est, quia non credit in nómine Unigéniti Filii Dei.

℟. Sint lumbi vestri præcincti, & lucérnæ ardéntes in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus expectántibus dóminum suum, quando revertátur à núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et vos. Glória Patri. Et vos.

Lectio ix.

VErum his cum timóre, & pavóre débito paulis-

lisper commemorátis, ad lætíssima pótius Dómini, & Salvatóris nostri promíssa convertámus audítum. Videámus: quæ tantæ grátia pietátis? non ætérnæ tantúmmodò vitæ præmia suis sequácibus, sed & preséntis múnera pollicétur exímia. Et omnis, inquit, qui relíquerit domum, vel fratres, aut soróres, aut patrem, aut matrem, aut uxórem, aut filios, aut agros propter nomen meum, céntuplum accípiet, & vitam ætérnam possidébit. Qui enim terrénis afféctibus, sive possessiónibus pro Christi discipulátu renuntiáverit, quò plus in ejus amórem profécerit, eò plures invéniet, qui se intérno suscípere afféctu, & suis gáudeant sustentáre substántiis.

Te Deum laudámus.

DIE XIII. OCTOBRIS.

Quarta die infra oct. S. Francisci, Officium fit de S. Eduardo Rege, Confess. ut in Breviario, cum comm. oct.

DIE XIV. OCTOBRIS.

Quinta die infra octavam S. Francisci, Officium fit de S. Callisto P. & M. ut in Breviar. cum comm. octavæ.

DIE XV. OCTOBRIS.

Sexta die infra octavam S. Francisci, Officium fit de S. Teresia V. ut in Breviario.

DIE XVI. OCTOBRIS.

Septima die infra octavam S. Francisci.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occur.

In secundo Nocturno.

Sermo Sancti Bernárdi Abbatis.

Serm. 1. de S. Victore.

Lectio iv.

SAncti Francísci vita, & glória speciális, non tam ad glóriam, quàm ad virtútem próvocat omnes, qui recto sunt corde. Non recti planè, sed pervérsi est ánimi, antè quærere glóriam, quàm exercére virtútem, & velle coronári, qui legitimè non certáverit. Vanum est vobis, inquit, ante lucem súrgere. Ita est: frustra ad celsitúdinem nítitur glóriæ, qui priùs non cláruit virtúte: Frustra fátuæ vírgines Sponso óbviàm surgunt, quarum lámpades extinguúntur: & ídeò fátuæ, quia vácuis gloriántur lampádibus, virtútis óleum non habéntes.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, & custodívit eum ab inimícis, & à seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, & osténdit illi Regnum Dei. Et dedit.

Le-

Lectio v.

VIrtus gradus ad glóriam, virtus mater glóriæ est. Fallax glória, & vana est pulchritúdo, quam illa non parturivit. Sola est, cui glória jure debétur, & secúrè impénditur. Sancto Francísco, nec virtus, nec glória deest: sed quemádmodum ambæ res, & quo órdine in hómine processérunt, id óperæ prétium intuéri. Habémus enim, dilectíssimi, in vita Francísci, & quod dignè mirémur, & quod salúbriter imitémur. Tutíus sanè æmulánda solidióra, quàm sublimióra; & quæ magis virtútem redóleant, glóriam minus. Studeámus proínde móribus conformári, cui in mirabílibus similári, & si vólumus, non valémus.

℟. Amávit eum Dóminus, & ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas Paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fidei, & ornávit eum. Et ad portas.

Lectio vi.

ÆMulémur in viro sóbrium victum, devótum afféctum, æmulémur mansuetúdinem spíritus, castimóniam córporis, oris custódiam, ánimi puritátem, pónere frænum iræ, & modum linguæ, dormíre párciùs, oráre frequéntiùs, commonére nosmetípsos psalmis, hymnis, & cánticis spirituálibus, diebus júngere noctes, & divínis láudibus occupári: æmulémur charísmata melióra. Æmulémur, inquam, quòd éxtitit liberális in páuperes, pátiens ad peccántes, benígnus ad omnes. Hoc enim mélius. In his forma est, cui imprimámur: in miráculis glória, à qua reprimámur. Illa lætíficent, ista ædíficent: móveant illa, ista promóveant.

℟. Iste homo perfécit ómnia, quæ locútus est ei Deus, & dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus Géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, & pervénit ad cæléstia Regna Quia te vidi. Glória Patri. Quia te vidi.

In tertio Nocturno.

Léctio Sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vii. *Cap.* 19.

IN illo témpore: Dixit Petrus ad Jesum: Ecce nos relíquimus ómnia, & secúti sumus te: quid ergo erit nobis? Et réliqua.

Homilía Sancti Bernárdi Abbátis.

ARbitror verba lectiónis hujus ea esse, de quibus ad immortálē Sponsum à finibus terræ clamat

Ec-

Ecclésia: Propter verba labiórum tuórum ego custodívi vias duras. Hæc nempe sunt verba, quæ contémptum mundi in univérso mundo, & voluntáriam persuasére homínibus paupertátē. Hæc sunt, quæ mónachis claustra replent, desérta anachorétis. Hæc, inquam, sunt verba, quæ Ægyptum spóliant, & óptima quæque ejus vasa dirípiunt. Hic sermo vivus, & éfficax convértens ánimas felíci æmulatióne sanctitátis, & veritátis promissióne fidéli.

℞. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, & de omni corde suo laudávit Dóminum: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, & pérmanens in innocéntia sua. Ipse intercédat.

Lectio viii.

NAm & mundus tránsiit, & concupiscéntia ejus, & relínquere hæc magis éxpedit, quàm relínqui. Ecce, inquit, relíquimus ómnia, & secúti sumus te: nimírum quia exultávit, ut gigas ad curréndam viam, nec corréntem sequi póterat onerátus. Sed nec inútilis commutátio pro eo, qui super ómnia est, ómnia reliquísse: nam & simul cum eo donántur ómnia, & ubi apprehénderis eum, erit unus ipse ómnia in ómnibus, qui pro ipso ómnia reliquérunt. Omnia sanè díxerim, non tantùm possessiónes, sed étiam cupiditátes, & eas máximè.

℞. Sint lumbi vestri præcíncti, & lucérnæ ardéntes in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus expectántibus Dóminum suum, quando revertátur à núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis, qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et vos. Glória Patri. Et vos.

Lectio ix.

PEtrus cogitátum suum jactans in Dómino, & omnem solicitúdinem suam in eum projíciens, certus quòd illi foret cura de eo, relíquit ómnia, secútus est Dóminum, ne intérrogans quidem de præmio, donec ex perículo dívitum, quod Salvátor prosequebátur, súmeret occasiónem percontándi: Quid ergo erit nobis? Ait illi Jesus: Amen dico vobis. Verbum confirmatiónis præmíttitur: magnum nóveris esse, quod séquitur. In regeneratióne sedébitis & vos. Consequímini, ait, quem sequímini; ut cùm ipse séderit, & vos páriter sedeátis. O séssio! Quis mihi tri-

tribuat, ut dignis éxprimam verbis, quod de sessióne hac cordis affectióne concípio! Imò quis tríbuat mihi sessiónis hujus imperturbáta frui réquie, quam desídero, quam cúpio, quam requíro.

Te Deum laudámus.

DIE XVII. OCTOBRIS.

Octava S. Francisci Borgiæ, duplex.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occur.

In secundo Nocturno.

Sermo S. Bernárdi Abbátis.

Serm. 2. de S. Victore.

Lectio vi.

GAudéte in Dómino, dilectíssimi, qui inter continua suæ pietátis benefícia indúlsit hóminem mundo, cujus multi salvaréntur exémplo. Iterùm dico, gaudéte, quòd factus de médio appropiávit Deo, ut multò plures ejus intercessióne salvéntur; in terris visus est, ut esset exémplo; in cælum levátus est, ut sit patrocínio. Hic infórmat ad vitam, illic invitat ad glóriam: factus est mediátor ad regnum, qui fuit incitátor ad opus. Bonus mediátor, qui sibi jam póstulans nihil, totum in nos transférre desíderat, & supplicántis affectum, & supplicatiónis fructum: quid enim quærat sibi, qui nullíus eget?

℞. Honéstum fecit illum Dóminus, & custodívit eum ab inimícis, & à seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, & osténdit illi Regnum Dei. Et dedit illi claritátem æternam.

Lectio v.

HÆc dies gloriósæ migratiónis ejus, dies lætítiæ cordis ejus, exultémus, & lætémur in ea. Introívit in poténtias Dómini, gaudeámus; quia nunc poténtior est ad salvándum. Hódie Francíscus pósito córpore, tantò alácrior, quantò expedítior penetrávit in sancta: símilis factus in glória Sanctórum. Hódie despécto mundo, & mundi príncipe triumpháto suprà mundum victor ascéndit, accípiens de manu Dómini corónam victóriæ. Ascéndit autem cum imménsa supelléctili meritórum, clarus triúmphis, miráculis gloriósus. Sedet veteránus miles, débita jam suavitáte, & securitáte quiétus: secúrus quidem sui, sed nostri sollícitus. O venerándam étiam ipsis Angelis sanctitátem, quam pari stúdio, etsi díspari voluntáte, & mali fúgitant, & frequéntant boni! nec fácile díxerim, quid virum ádstruat sanctiórem, horum favor, aut pavor illórum.

℞.

℟. Amávit eum Dóminus, & ornávit eum: stolam glóriæ induit eum, * Et ad portas Paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fidei, & ornávit eum. Et ad portas.

Lectio vi.

O Miles emérite, qui Christiánæ militiæ duris labóribus Angélicæ felicitátis requiem commutásti: réspice ad imbélles, & imbeciles commilitónes tuos, qui inter hostiles gládios, & spirituáles nequítias tuis láudibus occupámur. Quam pium, quàm dulce, quàm suáve, ò Francísce, in hoc loco afflictiónis, & in hoc córpore mortis te cánere, te cólere, te precári. Nomen tuum, & memoriále tuum favus distillans in lábiis captivórum, mel, & lac sub lingua eórum, qui tui memória delectántur. Eia ergo fortis athléta, dulcis patróne, advocáte fidélis, exúrge in adjutórium nobis; ut & nos de nostra ereptióne gaudeámus, & tu de plena victória gloriéris.

℟. Iste homo perfécit ómnia, quæ locútus est ei Deus, & dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus Géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, & pervénit ad cæléstia regna. Quia te. Glória Patri. Quia te.

In tertio Nocturno.

Léctio Sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vii. *Cap.* 19.

IN illo témpore: Dixit Petrus ad Jesum: Ecce nos relíquimus ómnia, & secúti sumus te: quid ergo erit nobis? Et réliqua.

De Homilia Sancti Bernárdi Abbátis.

ECce enim dixi, nihil in me sedet, cuncta in motu sunt, ómnia nutant, flúctuant univérsa. Postrémò, ubi concupíscit adhuc caro advérsus Spíritum, spíritus advérsus carnem, quidnam hóminis sedére vidétur? Jam quidem sedet Filius hóminis in sede majestátis: siquidem ascéndens in cælum sedet à dextris Dei. Sed cùm séderit, dictum est, hoc est, cùm apparúerit sedens, sicut Apóstolus ait: Cùm enim Christus apparúerit vita vestra, tunc & vos apparébitis cum illo in glória. Quid glorióśius? Júdicent nunc, & præjúdicent supérbiæ filii, cum rege suo sédeant, qui sibi látera Aquilónis elégit: transíbimus, & ecce non erunt.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, & de omne corde suo laudávit Dóminum: * Ipse intercédat pro peccátis ómni-

mnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, abstinens se ab omni ópere malo, & pérmanens in innocéntia sua. Ipse intercédat pro peccátis.

Lectio viii.

IN sédibus enim quies imperturbáta est, in judício dignitátis eminéntia commendátur. Quis veró sæculáris honor excogitári potest, qui non prorsus in tantæ sublimitátis comparatióne viléscat? Non unius siquidem civitátis, aut pópuli, seu regiónis unius, sed universitátis júdices habent præsidére cum Christo. Nec solùm hómines, sed & ipsos Angelos judicábunt, qui paréntem ad módicum vapórem præséntis glóriæ dedignántes, & exsufflantes, impropérium Christi univérsis præferunt títulis dignitátũ.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, & lucérnæ ardéntes in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus expectántibus dóminum suum, quando revertátur à núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et vos. Glória Patri. Et vos.

Lectio ix.

ILlud ergo veheméntius árbitror admirándum, quòd fidéles magis in máximo, quàm in módico videámini: Non enim difficile est ei dare céntuplum in præsénti, quid datúrus est vitam ætérnam in futúro. Sed quómodo, inquit, possunt hæc fieri? qua ratióne áccipit céntuplum, qui nihil sibi relínquit ex ómnibus? Mira nóvitas, sed ejus qui nova facit ómnia. Jugum tollens, invénit réquiem, relinquens ómnia céntuplum habet. Nóverat hoc & ille, qui loquebátur in Psalmo: Numquid adhæret tibi sedes iniquitátis, qui fingis labórem in præcépto? An non fictus in præcépto labor, onus leve, suáve jugum, Crux inúncta?

Te Deum laudámus.

DIE XX. OCTOBRIS.

In Festo S. Irenæ Virginis, & Martyris, duplex maius.

Omnia de Communi Virginum, & Martyr. præter ea, quæ hic sunt propria.

Oratio.

DEus, qui cæléstí indício Beátam Irénam vírginem, & mártyrem tuam ab infámia liberásti: concéde propítius: ut ejus méritis, & précibus à peccatórum nostrórum máculis emundémur. Per Dóminum nostrum.

Deinde fit commem. S. Petri de Alcantara.

Lectiones primi Nocturni De Virgínibus. *de Cõm.* 1. *loco.*

In

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

IRéna virgo nóbili génere nata, patre quidem Hermégio, matre verò Eugénia, apud Nabántiam insigne Scalabitáni convéntus óppidum in Lusitánia, a prima ætáte apud religiosissimas Castam, & Júliam patris ejus soróres educáta, monásticæ profe ssiónis institútum, anniténtibus, & gaudéntibus ámitis, summa devotióne suscépit: Remígioque Mónacho doctíssimo à Cælio Abbáta ejus avúnculo magnæ sanctitátis viro tráditur, ut illam litteras, & Religiónis sanctíssimos mores, atque vitæ perfectióris sanctimóniam edocéret. In quo virgo prudentíssima & magnos progréssus faciébat, & indies magis, magísque ibat de virtúte in virtútem. Flagrábat siquidem in ejus péctore charitátis benignitas, & virginitátem summo stúdio amplectebátur, illámque humílitas tuebátur, & cibi, & potus parsimónia véstium vilitáte fovebátur: contemplatióni, & oratióni semper vacábat, solíque Deo placére satagébat.

℟. Propter veritátem, & mansuetúdinem, & justítiam; * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua, inténde, prósperè procéde, & regna. Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Lectio v.

ERat eódem témpore Nabántia sub império inclyti, & Christianissimi Castinaldi, & Cáiliæ uxóris ejus, quibus únicus erat filius Britáldus nómine, adoléscens óptimæ índolis, atque spei. Iréna verò cum cæteris Virgínibus, quibus in monastério degébat, semel in anno in natáli Príncipis Apostolórum ad ipsíus célebrem Ecclésiam, quæ non procul à Castináldi palátio sita erat, orandi causa se conferébat. Cùm verò córporis exímia pulchritúdine esset insígnis, visa semel à Britáldo, statim ejus amóre ímprobè captus, cùm illum detégere non audéret, ita exársit, ut in gravíssimum morbum incíderet, ignótaque à médicis ejus causa, veheméntiùs ingravescébat. Quod cùm Iréna ex Divina revelatióne cognovísset, pietáte, ac humanitáte commóta ad eum inviséndum se cóntulit, & illum à nefário, & ímprobo amóre divínis suasiónibus conátur avértere. Quibus Britáldus acquiescéndum duxit, si pollicerétur nulli álteri præstándum, quod sibi denegábat: quod virgo fácilè promísit, atque con-

confirmávit: & impósitis super Britáldum mánibus pristinam adéptus est valetúdinem.

℞. Dilexísti justítiam, & odísti iniquitátem: * Proptéreà unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, & mansuetúdinem, & justitiam. Proptéreà unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ.

Lectio vi.

TRansácto pósteà biénnio, Remigius Magister cœpit étiam vírginem deperire, & illam impudicè compéllere ausus est. Quæ cùm illum objurgásset de re indígna Mónacho, & Magístro, Deóque máximè exósa, non ferens Remígius repúlsam, ira veheménter incénsus maléficæ herbæ potiónem vírgini suméndam præbuit, qua sumpta, gestáre alvum videbátur. Unde virginitátis ipsius famam omnes lædébant. Quæ cùm Britáldus audísset, indignè ferens Irénam promíssis non stare, mílitem adhortátur, ac jubet, ut illam incésto flagítio pollútam occíderet. Miles ígitur dictis, & império Britáldi obtémperans, cùm Irénam ad ripam flúminis nocte orántem invenísset, guttur ejus gládio confódit, corpus in flúvio demérgit, & sic puríssimus spíritus in cælum ad sempitérnam, & duplicátam virginitátis, & martyrii corónam evolávit, decimotértio Kaléndas Novémbris, anno sexcentésimo quinquagésimo tértio à Nativitáte Dómini nostri Jesu Christi. Manè autem facto increvérat fama Irénam cum suo amatóre aufugisse. Sed scrutans corda, & renes Deus, quæ acciderant, Cœlio Abbáti máximè doléntì revelávit. Qui palàm ómnibus factum enárrat, & ad inquiréndum Irénæ corpus per Nabánem, & Ozécarum ad usque Tagum devénit. Juxta ígitur Scálabim, vulgò Santarem, velut Jordánis, Tago convérso retrórsum, appáruit árida, & invéntum est sepúlchrum marmóreum, in quo vírginis corpus cónditum erat, multísque miráculis éditis máximè cláruit. Cùm autem inde sepúlchrum cum córpore evéllere conaréntur, nec ullis víribus efficere potuíssent, revérsus Tagus sepúlchrum aquis íterum opéruit.

℞. Afferéntur Regi vírgines post eam, próximæ ejus, * Afferéntur tibi in lætítia, & exultatióne. ℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua, inténde, prósperè procéde & regna. Afferéntur. Glória Patri. Afferéntur.

In tertio Nocturno, Homilia in Evangel. Símile erit Regnum cælórũ decem Virgínibus, *de eodem Communi.*

In secundis Vesperis fit commem. S. Hilarionis, & Ss. Ursulæ, & soc. ut in Breviario.

DIE XXV. OCTOBRIS.

In Festo Ss. Martyr. Crispini, & Crispiniani, duplex maius.

Omnia dicuntur de Communi plurimorum Martyr.

Oratio.

ADésto, Dómine, pópulo tuo, ut Beatórum Mártyrum tuórum Crispini, & Crispiniáni mérita præclára suscípiens ad impetrándam misericórdiam tuam semper eórum patrocíniis adjuvétur. Per Dóminum nostrum.

Deinde fit commem. Ss. Chrysanthi, & Dariæ Martyrum, Ant. Vestri capilli. ℣. Exultábunt. *Oratio ut in Breviario.*

In primo Nocturno, Lectiones potiùs dicuntur de Communi primo loco, Fratres, debitóres.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

CRispínus, & Crispiniánus fratres sub Diocletiáno, & Maximiáno, Imperatóribus, qui unánimi, incredibilique impietáte Ecclésiam Dei oppugnándam suscepére, Romæ claris orti natálibus, pari Fidei devotióne secúti Sanctum Quintínum Mártyrem, Christum annuntiatúri in Gállias se contulérunt, Suessiónesque venérunt, ubi sutóriam artem, ut inde sibi victum compararent, Dei beneficio ita didicérunt, ut cæteros artis elegántia fácilè vincerent. Cùm nullum sui labóris prétium à quoquam exígerent, & Dei verbum semper ómnibus annuntiárent, factum est, ut multi, relicto erróre, & cultu simulacrórum, Deum vivum, & verum toto péctore cólere, & amáre concupíscerent. Id ubi percépit ímpius Maximiánus, conféstim Rictiovárum suæ crudelitátis minístrum ad eos perquiréndos misit, qui apud Suessiónes eos invénit cálceos páuperum consuéntes: sciscitátusque ab eis quosnam Deos cólerent, respóndent se unum, eúmdemque verum Deum cólere: Jovem, Apóllinem, Mercúrium, & id genus porténta non cólere, nec adoráre.

℟. Sancti tui Dómine, mirábile consecúti sunt iter, serviéntes præcéptis tuis, ut inveniréntur illæsi in aquis válidis: * Terra appáruit árida: & in mari rubro via sine impediménto. ℣. Quóniam

niam percússit petram, & fluxérunt aquæ, & torréntes inundavérunt. Terra appáruit árida: & in mari rubro.

Lectio v.

QUo audito, Rictiovárus eos caténis vinctos ad Maximiánum addúcit. Qui cùm imperáret, ut suum genus, & Religiónem edíscerent: se quidem Romana non obscúra família ortos, pro Christi amóre in Gálliam venisse, ipsúmque Christum Deum verum crédere, cólere, & annuntiáre constantíssimè faténtur. Tunc Maximiánus furóre accénsus tradit eos Rictiováro dirè excruciándos, tetérrimaque morte perdéndos. Moxque crudélis tyránni miníster jubet Sanctos ad tróchleam exténsos fústibus cædi, sudes intra digitórum ungues, & carnem defigi, corrigiásque ex pelle dorsi immaníssimè exscindi. Cùm verò Mártyres inter torménta spe gaudéntes Deum orárent, statim sudes tanta vi è dígitis exiliunt, ut quosdam ex ministris interfícerent, álios verò vulnerárent. At Rictiovárus præ furóre insániens, lápides moláres ad colla Mártyrum alligári jubet, & in flumen eos Axónam demérgi, ut glácie eruciaréntur. Sed Mártyres Divína virtúte protécti nec aquis mergúntur, nec saxis premúntur, nec frígore constringúntur.

℟. Vérbera carníficum non timuérunt Sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine: * Ut hærédes fíerent in domo Dómini. ℣. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia. Ut hærédes fíerent in domo Dómini.

Lectio vi.

EO conspécto, Rictiovárus miráculo in plumbum liquefáctum jubet vivos depóni; sed nihil ignis lædit, imò in médio plumbo orántes Sancti canébant: Adjuva nos, Deus salutáris noster, & propter honórem nóminis tui Dómine líbera nos, & propítius esto peccátis nostris propter nomen tuum, ne fortè dicant gentes: Ubi est Deus eórum? Sub his précibus éxilit gutta fervéntis plumbi in óculum Rictiovári, qui magno dolóre cruciátus, & obcæcátus; cernens ímpius se nihil suis effícere supplíciis, furibúndus in ignem se præcípitat, & tali morte, justo quidem Dei judício, abit è vita. Maximiánus ubi dídicit, quid suo Rictiováro accidísset, præcépit Sanctos Mártyres cápite puníri: sicque cápite cæsi octávo Kaléndas Novémbris ætérnam vitam, martyriíque corónam

ſunt conſecúti. Qui dies Sanctórum Mártyrum feſtus, atque ſolémnis, quòd póſteà in illam memorábilem Alphónſi Primi Luſitániæ Regis victóriam incúrrerit, cùm Lisbónam urbem anno milléſimo centéſimo quadragéſimo ſéptimo è poteſtáte Sarracenórum erípuit, magna devotióne à Lisbonénſibus celebrátur. Córpora Sanctórũ Mártyrum relícta cánibus devoránda eádem nocte ſenex quidam pauper cum ſoróre grandeva ab Angelo admóniti ſepultúræ mandárunt. Hi enim ad Axónam flumen, ubi Sancti paſſi fúerant, accedéntes, ſingulique singula córpora tolléntes, atque exiſtimántes non ferre ſe ónera, ſed pótiùs ab onéribus ferri, ea in cymbam ibi conſpéctam impoſuérunt, & advérſo flúmine ſe movénte navicula, ſine remis, & rémige ad locum deſtinátũ perveniéntes, in ſuo tugúrio ea clàm ſepeliérunt: póſteà verò Romam deláta, in Eccléſia Sancti Lauréntii in Pane, & Perna honoríſice ſunt tumuláta.

℟. Tamquam aurum in fornáce probávit eléctos Dóminus, & quaſi holocáuſti hoſtiam accépit illos: & in témpore erit reſpéctus illórum: * Quóniam domum, & pax eſt eléctis Dei. ℣. Qui confídunt in illum, intélligent veritátem: & fidéles in dilectióne acquiéſcent illi. Quóniam. Glória Patri. Quóniam.

In tertio Nocturno, Homilia in Evangel. Cùm audiéritis prælia. *de Comm.*

℟. *viii.* Hæc eſt vera fratérnitas.

Lectio ix. & commemor. Ss. Chryſanthi, & Dariæ Martyrum, Antiphona. Iſtórum eſt enim. ℣. Lætámini in Dómino.

In ii. Veſperis commem. Sancti Evariſti.

DIE XXIX. OCTOBRIS.

Translat. S. Eliſabeth Reg. duplex.

In Veſp. fit tantum commemoratio, ut infrà.

Antiph. Et nunc Reges intelligite, erudimini, qui judicatis terram.

℣. Ora pro nobis, Beáta Eliſabeth.

℟. Ut digni efficiámur promiſſiónibus Chriſti.

Oratio.

DEus ómnium largítor donórum, qui hunc diem Beátæ Eliſabeth veneránda Translatióne illuſtráſti: quæſumus: ut ejus précibus, & interceſſióne nos de terrénis ad conſórtia tránsferas Beatórum. Per Dóminum noſtrum.

Ad Matutinum, Invitator.

Lau-

Laudémus Deum nostrum : * In sanctis opéribus Beátæ Elisabeth.

Psalm. Veníte, exultémus.

Hymnus.

DOmáre cordis ímpetus
Elisabeth,
Fortis, inópsque Deo
Servire, regno prætulit.
En fúlgidis recépta cæli
sédibus,
Sidéreæque domus
Ditáta sanctis gáudiis.
Nunc regnat inter cælites
beátior,
Et premit astra, docens
Quæ vera sunt regni bona.
Patri potéstas, Filióque
glória,
Perpétuumque decus
Tibi sit alme Spíritus.
Amen.

In primo Nocturno.

Antiph. Eleváta est magnificéntia Elisabeth super cælos.

Psalmi de Cõm Virginum.

Antiph. Veni elécta mea, & ponam in te thronum meum, quia concupívit Rex spéciem tuam.

Antiph. Accépit benedictiónem à Dómino, & misericórdiam à Deo salutári suo.

℣. Multæ filiæ congregavérunt divítias.

℟. Tu supergréssa es univérsas.

Lectiones de Scriptura occurrente: Responsoria verò, ut hic habentur.

℟. *i.* Regáli exórta progénie triúmphat in cælis Elisabeth, tríplici circúmdata varietáte meritórum : * Nam in terra in tríplici vitæ gradu pósteris imitánda virtútum relíquit exémpla. ℣. Virginálem statum, conjugálem, & viduálem inoffénso pede cucúrrit. Nam in terra.

℟. *ii.* Os suum apéruit sapiéntiæ : * Et lex cleméntiæ in lingua ejus. ℣. Quóniam prævenísti eam in benedictiónibus dulcédinis. Et lex.

℟. *iii.* Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei : * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eam. ℣. Scuto bonæ voluntátis tua coronásti eam, Dómine. Et voluntáte. Glória Patri. Et voluntáte.

In secundo Nocturno.

Antiph. Propter veritátem, & mansuetúdinem, & justítiam dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Antiph. Arcum cónteret, & confringet arma, & scuta combúret igni.

Antiph. Justítia, & misericórdia plena est déxtera tua.

℣. Virga tua, & báculus tuus.

℟. Ipsa me consoláta sunt.

Lectio iv.

QUarto propè sæculo, quo Beáta Elisabeth Lusitanórum, & Algarbiórum Regína, è terréno

no ad cæléste Regnum feliciter emigráverat, Monda flúvius Conimbriam álluens regáli Cœnóbio, quod ipsa sibi, dum viveret, in domicílium, in sepúlchrum verò, cùm è vivis abiisset, eréxerat, crebris inundatiónibus ruinam moliebátur. Quamóbrem statútum est sacratíssimum ejus corpus unà cum sanctimoniálibus, commúnem ibi vitam agéntibus, áliò transférri, novóque in Cœnóbio à Joánne Quarto Lusitániæ Rege magnificentíssimè extrúcto summa celebritáte collocári. Parátis igitur ad translatiónem ómnibus, quibus opus erat, indicta die, convocátis vicinárum Civitátum Epíscopis, ad locum omnes, quo Sanctæ Reginæ reliquiæ ad id usque tempus permánserant, eo, quo par erat, Religiónis obséquio unanímiter convenérunt.

℟. Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & oblivíscere pópulum tuum, & domum patris tui: * Et concupíscet Rex decórem tuum. ℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua, inténde, prósperè procéde, & regna. Et concupíscet.

Lectio v.

Reclúso deinde túmulo, cui áderant Antístites, sacras exúvias veneratúri, & suo quisque múnere perfunctúri, corpus vivénti sanè, quàm mórtuo própius deprehéndunt mirabúndi: ità non modò íntegrum erat, solidúmque, verumétiam & mirábili cárnium facilitáte, & natívi colóris suavitáte adstántium óculis jucundíssimum. Eódemque per Médicos peritíssimos diligénter inspécto, tanta intégritas, & incorrúptio ómnibus natúræ víribus maior est definita. Quóminùs autem confluénti pópulo, videndíque percúpido, uti decrétum erat, ostenderétur, artificis incúria factum est: capsa enim lignea ad eam rem conf écta, auro, séricoque elegantíssimè coopérta, præter spem sacro pignori accipiéndo impar invenitur. Verúmtamen aptándo ibidem sanctíssimo córpori dum instárent religiósè Præsules (humánitusne, an verò divinitùs contigisse putétur) fácili dénique negótio illud composuére.

℟. Manum suam misit ad fórtia: * Manum suam apéruit inopi, & palmas suas exténdit ad páuperem. ℣. Dispérsit, dedit paupéribus, justítia ejus manet in sæculum sæculi. Manum suam apéruit inopi.

Lectio vi.

Feretro pósteà suscipiéndo destináti sex Epíscopi, onus álacri pietátis officio subiérunt, solémnique pompa longo órdine institúta, præcedéntibus Clero, totiúsque Regni plerísque Religiósis famíliis, prætéreà ex Magnátibus quamplúrimis ad novum Cœnóbium ingénti ómnium lætitia devéntum est: depósitumque ibi cæléste spólium tandem Sacri Antístites in ara templi máxima collocárunt, anno post Christum natum millésimo sexcentésimo septuagésimo séptimo, sedénte Innocéntio hujus nóminis Undécimo, ac Petro Secúndo Lusitánis gloriosíssimè imperánte, die vigésima nona Octóbris: plúribus indies effulgénte Sancta Regina miráculis, cùm ad ejus túmuli aspéctum, aut contáctum multi ex váriis morbis convalúerint, & quotídie ad ejus sancti nóminis invocatiónem convaléscant.

℟. Regnum mundi, & omnem ornátum sæculi contémpsi propter amórem Dómini mei Jesu Christi: * Quem vidi, quem amávi, in quem crédidi, quem diléxi. ℣. Eructávit cor meum verbum bonum, dico ergo ópera mea Regi. Quem vidi Glória Patri. Quem vidi.

In tertio Nocturno.

Antiph. Conféssio, & pulchritúdo in conspéctu ejus: sánctitas & magnificéntia in sanctificatióne ejus.

Antiph. Annuntiavérunt Cæli justítiam ejus, & vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Antiph. Judicávit in justítia, & pópulos in æquitáte.

℣. Ignis ante ipsam præcédet.

℟. Et inflammábit in circúitu inimícos ejus.

Leguntur tres Lectiones de Homil. in Evangel. Símile est Regnũ Cælórum thesáuro. *ut in Communi non Virg. Responsoria verò, ut sequitur.*

℟. *vii.* Os suum apéruit sapiéntiæ, & lex clementiæ in lingua ejus: considerávit sémitas domus suæ, * Et loquebátur de testimóniis Dómini. ℣. Gustávit, & vidit, quia bona est negotiátio ejus, non extinguétur in nocte lucérna ejus. Et loquebátur.

℟. *viii.* Invocávi, & venit in me spíritus sapiéntiæ, & præpósui illam regnis, & sédibus: * Et divítias nihil esse duxi in comparatióne illius. ℣. Mélior est enim sapiéntia cunctis ópibus pretiosíssimis. Et divítias. Glória Patri. Et divítias.

AD LAUDES,
& per Horas, Antiph.

DUm esset Rex in accúbitu suo, nardus mea dedit odórem suavitátis.

Psalm. Dóminus regnávit *cum reliq. de Dominica.*

Antiph. Et concupíscet Rex decórem tuum, quia ipsa est Dóminus Deus tuus.

Antiph. Potens in ópera, & sermóne lenívit iracúndiam Dómini, & conciliávit cor patris ad filium.

Antiph. Quasi arcus refúlgens inter nébulas glóriæ, & quasi flos rosárum in diébus vernis.

Antiph. Quasi stella matutína in médio nébulæ, & quasi Luna plena in diébus suis.

Capitulum Prov. 31.

MUlierem fortem quis invéniet? procul, & de últimis finibus prétium ejus. Confidit in ea cor viri sui, & spóliis non indigébit.

Hymnus.

OPes, decúsque régium reliqueras,
Elísabeth, Dei dicáta númini,
Recépta nunc beáris inter Angelos:
Libens ab hóstium tuére nos dolis.

Præi, viámque dux salútis indica:
Sequémur. O sit una meus fidelium,
Odor bonus sit omnis áctio, tuis
Id innuit rosis opérta cháritas.

Beáta cháritas, in arce síderum
Potens locáre nos per omne sæculum:
Patrique, Filióque summa glória,
Tibique laus perénnis, alme Spíritus.
Amen.

℣. Méritis, & précibus Beátæ Elísabeth.

℟. Propítius esto, Dómine, pópulo tuo.

Ad Benedictus, Antiphona. Tu glória Jerúsalem, tu lætítia Israel, tu honorificéntia pópuli tui.

Oratio.

DEus ómnium largítor donórum, qui hunc diem Beátæ Elísabeth veneránda Translatióne illustrásti: quæsumus: ut ejus précibus, & intercessióne nos de terrénis ad consórtia tránsferas Beatórum. Per Dóminum.

Ad Horas minores Antiphonæ dicuntur de Laudibus: Capitula verò, &c. sunt ea, quæ ponuntur in Communi non Virginum, pro nec Virgine, nec Martyr.

In ii. Vesperis, Antiph. Dum esse Rex, *cum reliq. de Laud. Psalmi de Comm. Virginum.*

Ca-

Capitulum. Mulierem fortem, *ut suprà.*

Hymnus. Domáre cordis ímpetus, *ut in Matut.*

℣. Ora pro nobis, Beáte Elísabeth.

℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Magnificat, Antiphona. Elísabeth pacis, & pátriæ mater in Cælo triúmphans, dona nobis pacem.

Oratio ut supra.

FESTA NOVEMBRIS.

DIE XXV. NOVEMBRIS.

In Festo Sanctæ Catharinæ Virg. & Mart. duplex.

Ad Vesperas, Antiphona. Inclyta Virgo Catharina, *cum reliquis de Laudibus, Psalmi de Virginibus.*

Capitulum. Eccli. 51.

COnfitébor tibi, Dómine Rex, & collaudábo te Deum Salvatórem meum. Confitébor nómini tuo, quóniam adjútor, & protéctor factus es mihi, & liberásti corpus meum à perditióne.

Hymnus.

CAtharinæ vox triúmphum
Laude plena pérsonet,
Ferte palmas, ferte lauris
Juncta passim lília
Virgo vincit, virgo mixtum
Lacte fundit sánguinem.

In tyránnum par nec armis,
Par nec ipsa víribus,
Sola surgit, & minántem
Ridet, urget, íncrepat:
Vir Puéllæ sustinére
Nescit unus ímpetum.

Pródit artem docta vanis
Turba nodis téxere,
Verba luce clarióra
Verba mellis æmula,
Quæ pudíco ex ore manant,
Tela jacta díxeris.

Cedit agmen, cedit ultrò
Victa virtus hóstium:
Nec satis se Christiáno
Censet auctam nómine,
Ni tyránni vincat iras,
Sæva vincat vérbera.

Hinc supérstes virgo blándis
Provocátur ártibus,
Ast inánes horror atri
Supplet artes cárceris:
Orta cum mox alma noctem
Lux fugávit hórridam.

Sempitérna sit Parénti,
Sempitérna Filio,
Utriúsque sempitérna
Sit ibi laus, Spíritus,
Cui repéndit mille grates
Cœtus almus Vírginum.
Amen.

℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua.

℟. Inténde, prósperè procéde, & regna.

Ad Magnificat, Antiphona. Prudens, & vígilans virgo Catharína, qualis es cum Sponso, qui te elégit de mun-

mundo? Quàm pulchra, quàm mirábilis, quanta luce spectábilis inter Sion juvénculas, & Jerúsalem filias! Thálamo gaudes régio, conjúncta Dei Filio.

Oratio.

DEus, qui dedísti legem Moysi in summitáte montis Sínai, & in eódem loco per Sanctos Angelos tuos corpus Beátæ Catharínæ Virginis, & Mártyris tuæ mirabiliter collocásti: præsta quæsumus: ut ejus méritis, & intercessióne ad Montem, qui Christus est, pervenire valeámus. Qui tecum vivit.

Ad Matutinum, Invitator.

Adorémus Regem Christum, Virginum Sponsum, * Qui Catharínam sibi fide desponsávit.

Psalmus. Venite.

Hymnus.

PAnge língua gloriósæ
Passiónem Virginis:
Nulla tantam gemma lucem,
Nulla tantum dat decus:
Hanc fugándis Christus umbris
Suscitávit sæculi.

Virgo pœnis tot probáta,
Tot supérstes mórtibus,
Vim rotárum præparátam;
Et nefándam máchinam,
Fortióri solvit aucta
Spíritus juvámine.

Nam precátur, cùm repéntè
Sæva moles sólvitur:
Inde lignis, inde clavis
Icta turba cóncidit:
Salva Sancto tunc rigári
Pars lavácro póstulat.

Ipsa conjux Maximíni
Prima sortis párticeps;
Agmen una seque belli
Ductor alter ádjicit.
Ecce quantam, casta Sponso
Sponsa prolem párturit.

Sempitérna sit Paréntì,
Sempitérna Filio,
Utriúsque sempitérna
Sit tibi laus, Spíritus,
Cui repéndit mille grates
Cœtus almus Vírginum.
Amen.

In primo Nocturno, Antiph. Christus est Deus meus, qui in ligno fuit exténsus, qui mórtuus, qui ex sepultúra in cælum fuit sublevátus.

Psalmi de Virginibus.

Antiph. Ne putétis deos esse simulácra hóminum, qui in vitiis vitam miserè finiérunt.

Antiph. Ego jam semel dixi me Christiánam esse: veni, ut essem Sponsa Christi, quem toto corde diléxi.

℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua.

℟. Inténde, prósperè procéde, & regna.

De Libro Sapiéntiæ.

Lectio i. *Cap. 7.*

OPtávi, & datus est mihi sensus, & invocávi, & venit in me Spíritus Sapiéntiæ: & præpósui illam regnis, & sédibus, & diviti-

vítias nihil esse duxi in comparatióne illíus. Nec comparávit illi lápidem pretiósum : quóniam omne aurum in comparatióne illíus aréna est exigua,& tanquam lutum æstimábitur argéntum in conspéctu illíus : super salútem , & spéciem diléxi illam , & propósui pro luce habére illam: quóniam inextinguíbile est lumen illíus.

℞. Venerándam Catharínæ Vírginis festivitátem celebrémus : & quáliter passa sit, in memóriam revocémus : illústribus orta natálibus , plena fide , & fortitúdine sponte Tyránnum ádiit , gaudens ad martyrium cucúrrit: * Quia Christi Sponsi sui inflammabátur amóre. ℣. Omnium ártifex dócuit illam Sapiéntia , & Dóminus ómnium diléxit eam. Quia Christi.

Lectio ii.

VEnérunt autem mihi ómnia bona páriter cum illa , & innumerábilis honéstas per manus illíus. Et lætáta sum in ómnibus , quóniam antecedébat me ista sapiéntia ; & ignorábam, quóniam horum ómnium mater est. Quam sine fictióne dídici , & sine invídia commúnico,& honestátem illíus non abscóndo. Infinitus enim thesáurus est homínibus , quo qui usi sunt , partícipes facti sunt amicítiæ Dei propter disciplínæ dona commendáti.

℞. Si velis, Imperátor, tuam abjícere deceptiónem , fácilè deprehéndes quidnam sint dii tui : Deum quoque verum agnósces, * Cujus vel solum nomen pronuntiátũ , aut Crux in áere figuráta , deos tuos vertit in fugam. ℣. Christus est Deus meus ætérnus , & immortális , & super ómnia desiderábilis. Cujus vel.

Lectio iii.

IPse enim dedit mihi horum , quæ sunt , sciéntiam veram , ut sciam dispositiónem orbis terrárum , & virtútes elementórum , initium, & consummatiónem , & medietátem témporum , vicissitúdinem , permutatiónes, & commutatiónes témporum, anni cursus , stellárum dispositiónes , natúras animálium , & iras bestiárum , vim ventórum , & cogitatiónes hóminum , differéntias virgulórum , & virtútes radícum , & quæcúmque sunt abscónsa,& improvísa , dídici : ómnium enim ártifex dócuit me Sapiéntia.

℞. Angelus Dómini appáruit Catharínæ dicens : Noli timére , Dei puélla , præter sapiéntiam à te comparátam. áltior tibi à Deo dábitur Sapiéntia , qua sapiéntes confun-

fundes: * Et eos cum plúrimis ad Christum addúces: * Et cum martyrii palma ad Cælum transmíttes. ℣. Perdes sapiéntiam sapiéntum, & prudéntiam prudéntum reprobábis. Et eos cum plúrimis. Glória Patri. Et cum martyrii palma.

In secundo Nocturno.

Antiph. Versáta sum in omni disciplinárum génere: sed nihil hæc ómnia ducens, veni, ut desponsárer immortáli Sponso Christo.

Antiph. Noli timére, Dei Sponsa: sublímior tibi dábitur Sapiéntia, qua sapiéntes confúndas, & ad Christum addúcas.

Antiph. Estis verè beáti: quòd relíctis ténebris, secúti estis lumen veritátis; & terréno Rege rejécto, ad immortálem accessistis.

℣. Adjuvábit eam Deus, vultu suo.

℟. Deus in médio ejus non commovébitur.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

CAtharina, nóbilis virgo Alexandrina, à prima ætáte stúdia liberálium ártium cum fidei ardóre conjúngens, brevi ad eam sanctitátis & doctrínæ perfectiónem pervénit, ut decem & octo annos nata eruditíssimum quemque superáret. Quæ cùm Maximini jussu multos, propter Christiánæ religiónis professiónem váriè torméntis cruciátos, ad supplícium rapi vidéret; non dubitánter ipsum ádiit Maximínum, eíque nefáriam immanitátem objiciens, sapientíssimis ratiónibus Christi fidem ad salútem necessáriam esse affirmávit.

℟. Beáta es, ó Imperátrix, si Christo adhæseris, & in ipsum credas. * Ecce vídeo in Angelórum mánibus corónam tuam in altum elátam, quam moriéndo pro Christo post díem tértium consequéris. ℣. Noli timére; habébis enim Christum in corde, ad quem perpétuò regnatúra procédes. Ecce video in Angelórum.

Lectio v.

CUjus prudéntiam Maximínus admirátus, retinéri eam jubet, accersítis úndique doctíssimis homínibus, magnísque propósitis præmiis, qui convíctam Catharinam à Christi fide ad idolórum cultum perduxíssent. Quod contra accidit. Nam plures Philósophi, qui ad eam coarguéndam convénerant, vi, ac subtilitáte ejus disputatiónis tanto Jesu Christi amóre sunt incénsi, ut pro illo mori non dubitáverint. Quamóbrem Maximinus blanditiis ac promissis Catharínam de senténtia dedú-

dúcere aggréditur; verùm id frustrà fieri intélligens, verbéribus afféctam, plumbatísque contúsam, dies úndecim sine cibo ac potu inclúsam tenet in cárcere.

℟. Virgo dirè flagellátur, cruciánda fame religátur, cárcere clausa manet: lux cælica fusa refúlget: * Fragrat odor, dulces cantant cæli ágmina laudes. ℣. Sponsus amat Sponsam, Salvátor visitat illam. Fragrat odor.

Lectio iv.

QUo témpore Maximíni uxor, & Porphyrius belli dux, viséndæ vírginis causa cárcerem ingréssi, & ejúsdem prædicatióne in Jesum Christum credéntes, pósteà martyrio coronáti sunt. Interim Catharína edúcitur è custódia: & rota expedítur crebris & acútis præfixa gládiis, ut virginis corpus crudelíssimè dilacerarétur. Quæ máchina brevi, Catharínæ oratióne confrácta est, eóque miráculo multi Christi fidem suscepérunt. Ipse Maximínus in impietáte & crudelitáte obstinátior, Catharínam secúri pércuti ímperat. Quæ fórtiter dato cápite, ad duplicátum virginitátis & martyrii præmium evolávit séptimo Kaléndas Decémbris: cujus corpus ab Angelis in Sina Arábiæ monte mirabíliter collocátum est.

℟. Délipis, Imperátor, advérsus poténtiam Dei decértans. Ne atténdas córporis pulchritúdinem, quæ cito perit. * Sum Christi Sponsa, cui ánimæ pulchritúdinem servo: * Quem amávi, quem diléxi, & toto corde quæsívi. ℣. Omnis glória ejus filiæ Regis ab intus. Sum Christi Sponsa. Glória Patri. Quem amávi.

In tertio Nocturno.

Antiph. Dæmones, quos deos nóminas, spectris vos decípiunt dæmoníacis, & vos ad libídinem próvocant, & nefárias cupiditátes.

Antiph. Dixit Porphyrius Catharínæ: Quid dabit mihi Christus, si in eum erédam, cui jam militáre desídero?

Antiph. Nulla língua narrábit bona, quibus fruéris, & quæ paráta sunt iis, qui díligunt Christum.

℣. Elégit eam Deus, & præelégit eam.

℟. In tabernáculo suo habitáre facit eam.

Lectiones Homil. S. Gregorii in Evangel. Simile erit Regnum Cælórum, *ut in Communi Virg. primo loco, Responsória verò, ut infrà.*

℟. *vii.* Beáta Catharína impii Tyránni jussu horréndam rotárum máchinam lætánter ingréssa, orábat ad Dóminum,

num, ut eam eríperet de mánibus inimicórum. * Vi Divína solúta máchina, perémptis tortóribus, Virgo illæsa permánsit. ℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo. Deus in médio ejus, non commovébitur. Vi Divína.

℟. *viii.* Virgo percússa gládio lac pro sánguine colat: * Quam manus Angélica sepelivit in vértice Sinai. ℣. Membris virgíneis ólei fluit unda salúbris. Quam manus Angélica. Glória Patri. Quam manus.

AD LAUDES.

& per Horas, Antiph.

INclyta Virgo Catharina intrépidè Maximinum ádiit, ut ab idolórum vanitáte ad veram Christi Fidem eum sapiénter addúcat.

Psalm. Dóminus regnávit, *cum reliquis de Dominica.*

Antiph. Oportébat, ó Imperátor, tuam te agnóscere deceptiónem, ne simulácris tamquam diis sacrifícia ófferas, & stultam plebem decípias.

Antiph. Solum Christum, qui est Deus ætérnus, & immortalis, Sponsum hábeo, & Consiliárium.

Antiph. Hábeo sapiéntiam, donum Dei mei, qui est sapiéntia, & vita, & quem timére inítium sublimióris sapiéntiæ est.

Antiph. Ornaméntum virginitátis, & stolam martyrii præfero cúivis púrpuræ Régiæ.

Capitulum. Eccli. 51.

COnfitébor tibi, Dómine Rex, & collaudábo te Deum Salvatórem meum. Confitébor nómini tuo, quóniam adjútor, & protéctor factus es mihi, & liberásti corpus meum à perditióne.

Hymnus.

LUcis ortu tam decóræ,
Christe Sponse virginú
Corde puro, voce læta
Laudis hymnum prómimus:
Te favénte dum triúmphans
Virgo palmas ággregat.

Ista demum tot corónis,
Laureisque nóbilis
Icta ferro virgo rivos
Alba fundit lácteos:
Hoc Tyránne suge nectar,
Suge mansuetúdinem.

Legis in quo monte primùm
Verba Numen édidit,
Corpus illic collocatur
Angelórum múnere:
Hos minístros, hoc sepúlchrum
Virgo talis óbtinent.

Urna ab illa sacra sudat
Unctiónis cópia,
Qua repénte corpus ægrum
Sospitáti rédditur:
Christe, mentis terge labes
Unctióne grátiæ.

Sempitérna sit Parénti,
Sempitérna Fílio,
Utriúsque sempitérna

Sit

Sit tibi laus, Spíritus,
Cui repéndit mille grates
Cœtus almus virginum.
Amen.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis.

℟. Proptéreà benedixit te Deus in ætérnum.

Ad Benedictus, Antiphona. Ave virginum gemma Catharína: Ave Sponsa Regis Regum glorióśa: Ave viva Christi hóstia, tuam venerántibus memóriam desideráta non déneges suffrágia.

Oratio.

DEus, qui dedísti legem Moysi in summitáte montis Sinai, & in eódem loco per sanctos Angelos tuos corpus Beátæ Catharínæ Vírginis, & Mártyris tuæ mirabíliter collocásti: præsta quæsumus, ut ejus méritis, & intercessióne ad Montem, qui Christus est, perveníre valeámus. Qui tecum vivit, & regnat, &c.

Ad Tertiam, Antiphona. Oportébat.

Capitulum. Confitébor, *ut suprà.* 46.

℟. *brev.* Spécie tua, * Et pulchritúdine tua. Spécie. ℣. Inténde, prósperè procéde, & régna. Et pulchritúdine tua. Glória Patri. Spécie tua.

℣. Adjuvabit eam Deus vultu suo.

℟. Deus in médio ejus, non commovébitur.

Ad Sextam, Antiphona. Solum Christum.

Capitulum. Eccli. 51.

LIberásti me secúndùm multitúdinem misericórdiæ nóminis tui à rugiéntibus præparátis ad escam, de mánibus quæréntium ánimam meam, & de multis tribulatiónibus, quæ circumdedérunt me.

℟. *brev.* Adjuvábit eam, * Deus vultu suo. Adjuvábit. ℣. Deus in médio ejus, non commovébitur. Deus. Glória Patri. Adjuvábit.

℣. Elégit eam Deus, & præelégit eam.

℟. In tabernáculo suo habitáre facit eam.

Ad Nonam, Antiphona. Ornaméntum.

Capitulum. Eccli. 51.

LAudábit usque ad mortem ánima mea Dóminum: quóniam éruis sustinéntes te, & liberas eos de manu angústiæ, Dómine Deus noster.

℟. *br.* Elégit eam Deus, * Et præelégit eam. Elégit. ℣. In tabernáculo suo habitáre facit eam. Et præelégit. Glória Patri. Elégit.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis.

℟. Proptéreà benedíxit te Deus in ætérnum.

In

In secundis Vesperis omnia ut in primis.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis.

℟. Proptéreà benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Magnificat, Antiph. Beáta Catharína ad martyrium ducta orábat dicens: Dómine Jesu Christe, tibi grátias ago, quòd statuísti super petram pedes meos: & direxísti gressus meos: nunc súscipe ánimam, quam sacrificávi pro te: da, ut hoc corpus meum, quod pro te fuit conscíssum, non possit áspici ab homínibus: meménto quoque eórum, qui per me ínvocant Nomen sanctum tuum, ut per ómnia laudéntur magnália tua.

Oratio.

DEus, qui dedísti legem Moysi in summitáte montis Sinai, & in eódem loco per sanctos Angelos tuos corpus Beátæ Catharínæ Vírginis, & Mártyris tuæ mirabíliter collocásti: præsta quæsumus, ut ejus méritis, & intercessióne ad Montem, qui Christus est, pervenire valeámus. Qui tecum vivit, & regnat, &c.

Et fit commemoratio Sancti Petri Alexandrini, ut in Breviario.

FINIS.

DIE XVI. NOVEMBRIS.

IN FESTO

B. GUNDISALVI DE LAGOS,

ORDINIS S. AUGUSTINI,

Duplex minus.

Omnia de Communi Confessoris non Pontificis præter sequentia.

In Hymno Iste Conféssor *dicatur*: Hac die lætus méruit suprémos laudis honóres.

Oratio.

DEus Virtútum, qui B. Gundisálvum Confessórem tuum ánimi demissióne, morum candóre, ac singulári charitáte mirábilem effecísti: concéde quæsumus, ut ejus exémpla imitántes in terris, coronári cum ipso mereámur in cælis. Per Dóminum, &c.

Lectio iv.

GUndisálvus Lacóbricæ in Lusitánia ex piis, & honéstis paréntibus natus, a prima ætáte tùm morum innocéntia, tùm litterárum addiscendárum stúdio mirífìcè enítuit: Virginitátem ita cóluit, ut adoléscens ab æquálibus suis inhonéstos sermónes míscceri áudiens, íllicò sese

se

ſe in fugam conjécerit, eorúmque conſuetúdinem perpétuò devitáverit. Hinc Mundi illécebras omnes averſátus, ſériò cœpit deliberáre de amplecténdo Reguléri Inſtitúto, quod Oliſipóne tandem præſtitit, hábitu ſuſcépto Ordinis Eremitárum Sancti Auguſtíni.

℟. Honéſtum fecit illum.

Lectio v.

IN hoc arctióris vitæ curriculo, non breviſſimo tantum ſomno, ſed étiam parciſſimo victu ad affligéndum corpus utebátur, quod cilíciis quoque domábat. Mox philoſóphicis, ac theológicis diſciplínis celériter arréptis, públicum concionándi munus óbiit ſumma cum audiéntium utilitáte. Cùmque ejus virtútis fama longè, latèque patéret, in celebrióribus per Luſitániam Ordinis ſui Cœnóbiis Prior, licèt invítus, eſt eléctus. Quibus in munéribus ad extrémum uſque vitæ tempus nullis unquam parcens labóribus, & ſumma cum laude verſátus eſt.

℟. Amávit eum, &c.

Lectio vi.

DE ſe ita demíſsè ſentiébat, ut doctoráli láurea dignus reputátus, illum honóris gradum conſtantíſſimè recuſáverit. Nullum majus capiébat ſolátium, quam dum púeros, rudéſque hómines erudíret præcéptis, inſtitútisque Chriſtiánæ Religiónis. In Cœnóbiis, quibus præficiebátur, vilióra quæque officia libentíſſimè, tamétſi fractis jàm penè víribus, exercébat. Morti próximus alúmnos ſuos ad pa-

pacem, & regulárem discíplínam adhortátus, sexagenário major sanctíssimè obiit. Post mortem miráculis, & cultu cláruit, quibus cógnitis Pius Papa VI. ejus Festum ab Univérso Augustiniénsium Ordine celebrári concéssit.

℟. Iste homo.

In tertio Nocturno Homilia in Evangelium Sint lumbi vestri præcíncti, *ut in Com. Conf. non Pont.*

EX AUDIENTIA SANCTISSIMI.

SAnctissimus piis Fidelissimæ Reginæ precibus adhærens concessit, ut ab utroque Clero omnium Statuum, & Dominiorum eidem Regiæ Majestati subjectorum recitari, & celebrari possit Officium, & Missa Beati Gundisalvi de Lagos aliàs a S. R. Congregatione approbata sub ritu duplici.

Ph. Campanelli S. Fidei Promotor.

Per Enrico de Menezes, Ministro Plenipotenziario di Sua Maestà Fedelissima.

OLISIPONE. Ex Typographia Aloysiana. Anno 1781.
Cum facultate Regiæ Curiæ Censoriæ.

DIE XXIII. DECEMBRIS.

IN FESTO

S. SERVULI

CONFESSORIS,

DUPLEX.

Omnia de Communi Confessoris non Pontificis præter ea, quæ sequuntur.

Oratio.

DEus, qui nos Beáti Sérvuli Confessóris tui ánnua solemnitáte lætíficas: concéde propitius, ut cujus natalítia cólimus étiam actiónes imitémur. Per Dñum.

In primo Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente; si autem venerit in quatuor Temporibus, leguntur Lectiones de Libro Sapientiæ Justus, &c. *ut in primo loco Communis Confess. non Pontif. & ix. Lectio de Homilia feriæ occurr.*

In secundo Nocturno.

De Homilia 15. *S. Gregorii Papæ in Evang.*

Lectio iv.

IN ea pórticu, quæ eúntibus ad Ecclésiam Beáti Cleméntis est pérvia, fuit quidam Sérvulus nómine, rebus pauper, méritis dives, quem longa ægritúdo dissólverat. Nam à primæva ætáte usque ad finem vitæ paralyticus jacébat. Quid dicam quia stare non potúerat, qui numquam in lecto suo súrgere, vel ad sedéndum valébat; numquam manum suam ad os dúcere; numquam se pótuit in latus áliud declináre? Huic ad serviéndum Mater cum Fratre áderat, & quicquid ex eleemósyna potuisset accípere, hoc eórum mánibus paupéribus erogábat. Nequáquam litteras nóverat, sed Scriptúræ sacræ sibimet códices émerat, & religiósos quosque in hospitalitátem suscípiens, hos coram se légere sine intermissióne faciébat. Factúmque est, ut quantum ad mensúram própriam áttinet, plenè sacram Scriptúram dísceret, cùm, sicut dixi, lítteras fúnditùs ignoráret.

℞. Honéstum fecit, &c.

Lectio v.

STudébat in dolóre semper grátias ágere, hymnis

mnis Deo, & láudibus diébus ac nóctibus vacáre. Sed cùm jam tempus esset, ut tanta ejus patiéntia remunerári debuísset, membrórum dolor ad vitália rédiit. Cùmque se jam morti próximum agnóvit, peregrínos viros, atque in hospitalitáte suscéptos admónuit, ut súrgerent, & cum eo psalmos pro expectatióne éxitus sui decantárent. Cùmque cum eis & ipse móriens psálleret, voces psalléntium repéntè cõpéscuit cum terróre magni clamóris dicens: Tacéte. Numquid non audítis quantæ résonant laudes in cælo? Cùmque ad eásdem laudes, quas intus audíerat, aurem cordis inténderet, sancta illa Anima à carne solúta est. Sed exeúnte illa, tanta illic fragrántia odóris aspérsa est, ut omnes illi, qui áderant inextimábili suavitáte repleréntur: itaut per hoc paténter agnóscerent, quod eam laudes, quas audíerat, in cælo suscepissent.

℟. Amávit eum, &c.

Lectio vi.

ECce quo fine ex hac vita migrávit, qui in hac vita æquanímiter flagélla tolerávit. Juxta vocem ergo Domínicam bona terra fructum per patiéntiam réddidit, quæ exaráta disciplinæ vómere ad remuneratiónis ségetem pervénit. Sed vos rogo, fratres charíssimi, atténdite: quod excusatiónis arguméntum in illo districto judício habitúri sumus nos, qui à bono ópere torpéntes & res, & manus accépimus, si præcépta Domínica egémus, & sine mánibus pótuit implére? Non contra nos Dóminus tunc Apóstolos osténdat, qui ad regnum secum turbas fidélium prædicándo traxérunt. Non contra nos Mártyres exhíbeat, qui ad cæléstem pátriam sánguinem fundéndo pervenérunt. Quid tunc dictúri sumus, cùm hunc, de quo locúti sumus, Sérvulum vidérimus, cui longus languor bráchia ténuit, sed tamen hæc à bono ópere non ligávit? Hæc vobíscum, fratres, ágite, sic vos ad stúdium boni óperis instigáte, ut cùm bonos vobis modò ad imitándum propónitis, eórum consórtes tunc esse valeátis, præstánte Dómino nostro Jesu Christo.

℟. Iste homo, &c.

In tertio Nocturno.

Léctio Sancti Evangélii secúndùm Lucam. *Cap.* 16.

Lectio vii.

IN illo témpore: Dixit Jesus Pharisæis: Homo quidam erat dives, qui induebátur púrpura, & bysso, & epulabátur quotídie splen-

ſpléndidè. Et réliqua.

Homilia Sancti Petri Chryſólogi. *Ex Serm.* 124.

QUóties nobis à Deo dives ingéritur purpurátus,quóties vulnerátus pauper appónitur, tóties nobis ſtádium pietátis aperítur : ut de ſpectáculo cæléſti poſsímus atténdere , quam brevi quantúmvis pauper ad palmam, dives pervénit ad ruinam. Induebátur dives púrpura , pauper livóre, dives byſſo, pauper ſqualóre : exſatiátus dives projiciébat panes , micas pauper eſúriens non habébat. Ac , ne plúrimis , ad divitem bona ómnia, ad páuperem mala ómnia perlégimus proveniſſe ; neque tamen páuperem fregérunt advérſa , aut diviti ómnia ſecúnda profuérunt ; immò páuperem provéxit ad virtútem dolor , contémptus ad patiéntiam , egéſtas ad regnum , & divitem ſic éxtulit púrpura ad ſupérbiam , byſſus ad luxum , ſublímitas ad ruinam.

℟. Iſte eſt , &c.

Lectio viii.

ERgo neque próſpera ignávos érigunt, neque fortes advérſa proſtérnunt ; quia neque divitiæ , neque paupertátes, ſed ánimus aut ducit gratos ad præmium , aut ad pœnam ducit ingrátos. Jánuæ divitis pauper ſe appónit ulcéribus plenus : at fit hoc non humáno caſu, judicio fit divino, ut divitis, & páuperis conflictus eſſet in terra, ſpectáculum manéret in cælo. Ob hoc enim égerat Deus , ut dives páuperis, pauper divitis in óculis ſemper eſſent , quátenus viciſſim ſibi ambo curam de vário languóre præſtárent. Ægrotábat pauper córpore , mente dives ; hinc eſt, quod differebátur cura páuperis, dives ut ſúmeret de vúlnere medicínam , de gémitu compunctiónem, de patiéntia exémplum , de fame miſericórdiam ; ad ſummam cæléſte de terréna compaſſióne conſórtium ; certè ut tantis dives bonis fultus Deo gratus eſſet,quando gratus Deo pauper in malis ómnibus , vidénte dívite , permanébat.

℟. Sint lumbi, &c.

Lectio ix.

MEritò ergo portabátur ab Angelis qui jacébat , qui lugébat , Abrahæ conſolátur in grémio ; & vivit Deo ſemper , qui ſibi vívere nec ſcivit in mundo. Factum eſt , inquit , ut morerétur pauper , & portarétur ab Angelis in ſinum Abrahæ , mórtuus eſt autem & dives , & ſepúltus eſt in inférno. Miſer dives accépit ante ánimæ , quam córpo-

po-

poris sepultúram, ut vivat pœnæ semper, cùm sit semel mortuus vitæ. Immutátio quanta rerum: quo descéndit dives, quo pauper ascéndit? réspicit, ibi sursum, quem despéxerat hic deórsum. Sed si est ascendéndi possibílitas ad supérna, si est facúltas vivéndi in cæléstibus, si est Abrahæ sinus bonis ómnibus ob réquiem preparátus; quare non cælo mutámus terram? quare non cadúcis émimus ætérna? quare non peritúris manéntia comparámus?

Te Deum laudámus.

OFFICIUM SANCTI FIDELIS A SIGMARINGA, MARTYRIS.

DIE XXIV. APRILIS.

In Festo S. Fidelis à Sigmaringa, Protomartyris Sacræ Congregationis de Propaganda Fide, duplex.

Omnia de Communi Martyrum tempore Paschali, præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui Beátum Fidélem, Seráphico spíritus ardóre succénsum, in veræ fidei propagatióne martyrii palma, & gloriósis miráculis decoráre dignátus es: ejus quæsumus méritis, & intercessióne ita nos per grátiam tuam in fide, & charitáte confirma, ut in servítio tuo fidéles usque ad mortem inveníri mereámur. Per Dóminum nostrum.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Fidélis in óppido Suéviæ Sigmarínga ex honésta Reyórum família natus, ab ineúnte ætáte singuláribus natúræ, & grátiæ donis ornátus præfúlsit. Egrégiam quippe sortítus índolem, morúmque óptima imbútus disciplína, dum Fribúrgi Philosóphiæ, & Juris utriúsque láuream emeruit, in schola étiam Christi ad perfectiónis ápicem sédulo virtútum exercítio conténdere cœpit. Nobilium exíndè Virórum, várias Európæ províncias lustrántium comes adscítus, eos ad christiánam pietátem sectándam tam verbis, quàm opéribus excitáre non déstitit. Quinímo in eódem itínere crebris austeritátibus desidéria carnis mortificáre, ac ita se-ípsum régere stúduit, ut in tanta rerum vicissitúdine nullo umquam visus fúerit iræ motu perturbári. Juris prætéreà, & justítiæ strénuus propugnátor, post réditum in Germániam celebre sibi nomen acquisívit in Advocáti múnere, in quo tamen, cùm Fori perícula es-

esset expértus, tutiórem ætérnæ salútis viam ingredi deliberávit, & supérna vocatióne illustrátus, pauló post Ordini Seráphico inter Fratres Minóres Capuccínos adscríbi pétiit.

℟. Lux perpétua lucébit Sanctis tuis, Dómine, * Et ætérnitas témporum, allelúia, allelúia. ℣. Lætítia sempitérna erit super cápita eórum: gáudium & exultatiónem obtinébunt. Et.

Lectio v.

PIæ petitiónis compos rédditus, mundi, suique contémptor insignis in ipso statim tyrocínio, magisque cùm solémnis Professiónis vota in gáudio spíritus Dómino nuncupásset, in Regulári observántia ómnibus admiratióni fuit, ac exémplo. Oratióni máximè, & sacris lítteris vacans, in verbi quoque ministério singulári grátia excéllens, nedum Cathólicos ad meliórem frugem, verùm étiam Heterodóxos ad veritátis cognitiónem attráxit. Plúribus in locis Cœnóbii Præfectus constitútus, prudéntia, justítia, mansuetúdine, discretióne, & humilitátis laude, munus sibi demandátum exércuit. Arctíssimæ paupertátis zelátor egrégius, quidquid vel minùs necessárium viderétur, è Cœnóbio pénitùs eliminávit. Inter austéra jejúnia, vigílias, & flagélla salutári seípsum prósequens ódio, in álios amórem, quasi mater in fílios, osténdit. Cùm pestífera febris Austrícas militáres cópias dirè affligeret, ipse in extrémis infirmórum indigéntiis ad assídua charitátis offícia toto spíritu incúbuit. In componéndis étiam animórum dissídiis, aliísque próximi necessitátibus sublevándis, consílio, & ópere ádeò præclarè se gessit, ut Pater Pátriæ merúerit appellári.

℟. In servis suis, allelúia. * Consolábitur Deus, allelúia. ℣. Judicábit Dóminus pópulum suum, & in servis suis. Consolábitur.

Lectio vi.

DEíparæ Vírginis, & Rosárii cultor exímius, illíus præcipuè, aliorúmque Sanctórum patrocíniis à Deo postulávit, ut in Cathólicæ fidei obséquium vitam sibi, & sánguinem fúndere licéret. Cùmque ardens hoc desidérium in quotidiána Sacri devóta celebratióne magis accenderétur, mira Dei providéntia factum est, ut fortis Christi Athléta Præses eligerétur illárum Missiónum, quas Congregátio de Propagánda Fide pro Rhætia tunc témporis

poris instituerat. Quod árduum munus prompto hilaríque ánimo suscípiens, tanto fervóre executus est, ut plúribus hæréticis ad Orthodóxam fidem convérsis, spes non módica effúlserit totius illíus gentis Ecclésiæ, & Christo reconciliándæ. Prophetíæ dono præditus, futúras Rhætiæ calamitátes, suíque necem ab hæréticis inferéndam sæpiùs prædíxit. Postquam verò insidiárum probè cónscius, impendénti agóni se præparásset, die vigesimaquárta Aprílis anno milléfimo sexcentésimo vigésimo secúndo ad Ecclésiam loci, Sevísium nuncupáti, se cóntulit: ubi ab hæréticis, qui pridiè conversiónem simulántes, eum dolósè ad prædicándum invitáverant, concióne tumultuáriè interrúpta, per vérbera, & vúlnera, eídem crudéliter infliéta, gloriósam mortem magno, & alacri corde perpéssus, Primítias Mártyrum memorátæ Congregatiónis próprio sánguine consecrávit: plúribus signis, & miraculis exíndè clarus, præsértim Cúriæ, & Veldkírchii, ubi summa pópuli veneratióne illíus Relíquiæ asservántur.

℟. Fíliæ Jerúsalem, veníte & vidéte Mártyres cum corónis, quibus coronávit eos Dóminus, * In die solemnitátis, & lætítiæ, allelúia. ℣. Quóniam confortávit seras portárum tuárum, benedíxit fílios tuos in te. In die. Glória Patri. In die.

In tertio Nocturno, Homilia S. Augustini Episcopi in Evangelium Ego sum vitis vera, *de Communi Martyrum tempore Paschali primo loco.*

DIE XXII. MAII.

IN FESTO

B. RITÆ DE CASSIA VIDUÆ,

ORDINIS S. AUGUSTINI,

Duplex minus.

Omnia de Communi nec Virginis, nec Martyris præter ſequentia.

Oratio.

EXáudi nos Deus ſalutáris noſter: ut ſicut de Beátæ Ritæ feſtivitáte gaudémus, ita piæ devotiónis erudiámur affėctu. Per Dóminum noſtrum, &c.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente: & ſi inciderit in ſecundam, vel quartam Feriam Rogationum, dic. Mulíerem fortem.

Lectio iv.

RIta Rocchæ Porrénæ Cáſſiæ oppídulo in Umbria, honéſtis, ac piis paréntibus nata, ab ineúnte ætáte illúſtria dedit virtútum exémpla. Etenim pueríles luſus, & inánes curas réſpuens, ſolitúdine, & orationibus mirífice delectabátur. Duódecim annos nata virginitátem Deo ſacráre conſtítuit: ſed ne paréntum voluntáti adverſarétur; viro ingénio præferóci, ac móribus tétrico nupſit: cujus aſperitátem ea manſuetúdine tulit, ut per annos duodevigínti

ti concórditer víxerint. Maríto ab inimícis interémpto, non solùm pro interfectóribus Deum orábat, sed étiam duóbus adolescéntibus, quos ex eo genúerat, ut patérnæ cædis memóriam abolérent suadébat. Cum autem eósdem vindíctæ cúpidos cognovísset Deum precáta est, ut eos cítius e vita eríperet, ne concéptum patérnæ cædis ultiónem explérent. His autem defúnctis, a sacris Virgínibus Ordinis Sancti Augustíni, multis cum lácrymis hábitum religiósum postulávit.

℟. Propter veritátem.

Lectio v.

AB illis autem, quod solas Vírgines recípere mos esset, ter repúlsam passa, non multo post voti compos divínitus affécta est. Nam quadam nocte dum oratióni vacáret, a Sancto Joánne Baptísta, quem sibi Patrónum in primis elégerat, vocáta, ac cum per abrúpta móntium sequi jussa, Beáto Patre Augustíno, & Nicoláo Tolentináte comitántibus in Cœnóbium mirabíliter introdúcta, a Virgínibus miráculo permótis, benígne suscépta est. Re ígitur familiári devéndita, ac prætio in páuperes erogáto, Monastérium ipsum ingréditur: ubi corpus vigíliis, cilício, spinis, quas túnicæ attexúerat, crebrísque flagéllis in servitútem rédigens, cibum semel in die sumébat, solo pane, & aqua conténta. Obediéntiæ insígne præbuit exémplum, cum Antístitæ jussu áridum lignum irrigáre non dubitávit. Oratióni júgi-

giter vacábat; Christique Dómini cruciátus a média nocte usque ad Solis ortum, tanto mentis ardóre, tantaque lacrymárum vi meditabátur, ut præ dolóris magnitúdine pene cónfici viderétur.

℟. Dilexísti justítiam.

Lectio vi.

QUadam die, cum ad Christi e Cruce pendéntis imáginem inténsius oráret, spina e Crucifixi coróna in fronte ita transfixa est, ut insanábile vulnus usque ad mortem pertúlerit: ex quo præter acerbíssimum dolóris sensum, fœda sánies exhalábat. Unde ne soróribus náuseam movéret, solitária cum Deo versabátur. Sed anno sæculári Romam cum céteris soróribus ab Antístita, propter ulcéris deformitátem ire vetíta, repénte abstérso vúlnere convaluit; quod tamen revérsa domum, íterum erúpit. Post áliquot annos gravi morbo corrépta, ipsum quadriénnio patientíssime tolerávit: quo témpore vernans rosa ex hórtulo aspérrima híeme, atque duæ recentíssimæ ficus ei allátæ sunt. Morti jam próxima, Christum Dóminum unà cum beáta Vírgine ad cæléstia regna se vocántem audívit; atque ita suscéptis ómnibus Ecclésiæ Sacraméntis, anno post Christum natum millésimo quadringentésimo quadragésimo tértio, undécimo Kaléndas Junii obdormívit in Dómino. Corpus usque ad hanc diem incorrúptum, suavíssimo odóre fragrans, pie cólitur. Eam miráculis ante, & post óbitum conspícuam Urbánus

Octá-

Octávus in Beatórum número rétulit.

℟. Fallax grátia.

In tertio Nocturno Homilia in Evangelium Símile est regnum cælórum thesáuro, *ut in Communi non Virginum.*

EX AUDIENTIA SANCTISSIMI.

SAnctissimus piis Fidelissimæ Reginæ precibus adhærens concessit, ut ab utroque Clero omnium Statuum, & Dominiorum eidem Regiæ Majestati subjectorum recitari, & celebrari possit Officium, & Missa Beatæ Ritæ de Cassia aliàs a S. R. Congregatione approbata sub ritu duplici.

Ph. Campanelli S. Fidei Promotor.

Per Enrico de Menezes, Ministro Plenipotenziario di Sua Maestà Fedelissima.

OLISIPONE. Ex Typographia Aloysiana. Anno 1781.
Cum facultate Regiæ Curiæ Censoriæ.

DIE XXIV. JULII.

IN FESTO
S. HIERONYMI ÆMILIANI
CONFESSORIS,

Duplex.

Omnia de Communi Conf. non Pont. præter ea, quæ sequuntur.

In Hymn. Iste Conféssor *mutatur tertius versus.*

Oratio.

DEus misericordiárum Pater, per mérita & intercessiónem Beáti Hierónymi, quem órphanis adjutórem & patrem esse voluísti, concéde; ut spíritum adoptiónis, quo fílii tui nominámur & sumus, fidéliter custodiámus. Per Dóminum, &c.

In primo Nocturno.

Lectiones de Script. occurr.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

HIerónymus egénte Patrícia Æmiliána Venétiis ortus, a prima adolescéntia milítiæ addíctus, difficíllimis Reipúblicæ tempóribus Castro novo ad Quarum in Móntibus Tarvisínis præfícitur. Arce ab hóstibus capta, ipse in teterrimum cárcerem detrúditur, mánibus ac pédibus vinctus, cui omni humána ope destitúto Beatíssima Virgo ejus précibus exoráta, clemens adest, víncula solvit, & per médios hostes, qui vias omnes obsséderant, in Tarvísii conspéctum incólumem ducit. Urbem ingréssus, ad Deí-

paræ aram, cui se vóverat, mánicas, cómpedes, caténas, quas secum detúlerat, in accépti benefícii testimónium suspéndit. Revérsus Venétias cœpit pietátis stúdia impénsius cólere, in páuperes mirè effúsus, sed puerórum præsértim misértus, qui paréntibus orbáti, egéni & sórdidi per urbem vagabántur, quos in æde a se condúctas recépit de suo aléndos, & Christiánis móribus imbuéndos.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, & custodívit eum ab inimícis, & a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, & osténdit illi Regnum Dei. Et dedit.

Lectio v.

PEr eos dies Venétias appúlerant Beátus Cajetánus, & Petrus Caráfa, póstmodum Paulus quartus, qui Hierónymi spíritu, novóque Institúto colligéndi órphanos, probáto, illum in incurabílium hospitále adduxérunt, in quo órphanos simul educáret, atque ægrótis pari charitáte inservíret. Mox eorúmdem hortátu in próximam continéntem profésctus, Bríxiæ primum, deínde Bérgomi, atque Novocómi Orphanothróphia eréxit, Bérgomi præsértim, ubi præter duo, pro púeris unum, & pro puéllis álterum, domum excipiéndis, novo in illis regiónibus exémplo, muliéribus a turpi vita ad pœniténtiam convérsis, apéruit. Somáschæ demum subsístens, in húmili pago agria Bergoménsis ad Vénetæ ditiónis fines, sibi, ac suis ibi sedem constítuit, fórmamque indú-

indúxit Congregatiónis, cui proptérea a Somáscha nomen factum: quam subínde auctam, & propagátam, nedum orphanórum regímini, & Ecclesiárum cúltui, sed ad majórem Christiánæ Reipúblicæ utilitátem, adolescéntium in lítteris & bonis móribus institutióni, in Collégiis, Academiis, Semináriis addíctam Sanctus Pius quintus inter Religiósos Ordines adscrípsit, cæteríque Pontífices privilégiis ornárunt.

℟. Amávit eum Dóminus, & ornávit eum, stolam glóriæ índuit eum: * Et ad portas Paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus loricam fídei, & ornávit eum. Et ad portas.

Lectio vi.

ORphanis colligéndis inténtus Mediolánum profíciscitur, atque Ticínum, & utrobíque colléctis agmínibus puerórum, tectum, victum, vestem, Magístros, nobílibus viris favéntibus, próvide constítuit. Inde Somáscham rédux, ómnibus ómnia factus, a nullo abhorrébat ópere, quod in próximi bonum cédere pervidéret. Agrícolis immíxtus per agros sparsis, dum se illis adjutórem in meténdis frúgibus præbet, mystéria Fidei explicábat; puerórum cápita porrígine fœdâ abstérgens, & patiénter tractans curábat; pútridis rusticórum vulnéribus medebátur eo succéssu, ut grátia curatiónum donátus censerétur. In monte, qui Somáschæ ímminet, repérta specu, in illam se ábdidit; ubi se flagéllis cædens, dies íntegros jejúnus tránsi-

gens, oratióne in plúrimam noctem protrácta, super nudo saxo brevem sommum carpens, sui aliorúmque noxárum pœnas luébat. In hujus specus interióri recéssu, ex árido sílice exstíllat aqua précibus servi Dei, ut constans tradítio est, impetráta, quæ usque in hodiérnam diem júgiter manans, & in várias regiónes deláta, ægris sanitátem plerúmque concíliat. Tandem ex contagióne, quæ per omnem vallem serpébat, dum ægrotántibus insérvit, & vita functos própriis húmeris ad sepultúram defert; contrácto morbo, annos natus sex & quinquagínta, quam paulo ante prædíxerat, pretiósam mortem óbiit anno milléssimo quingentésimo trigésimo séptimo: quem plúribus in vita, & post mortem miráculis illústrem Benedíctus décimus quartus Beatórum, Clemens vero décimus tértius Sanctórum Fastis solémniter adscrípsit.

℟. Iste homo perfécit ómnia, quæ locútus est ei Deus, & dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, & pervénit ad cæléstia Regna. Quia te. Glória Patri. Quia te.

In tertio Nocturno.

Léctio Sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Cap. 19. ℣. 13.

Lectio vii.

IN illo témpore obláti sunt ei párvuli, ut manus eis impóneret, & oráret. Et réliqua.

Ho-

Homilía S. Joánnis Chrysóstomi.

Homil. 62. in Matth.

CUr Discípuli púeros abigébant? Dignitátis causa. Quid ergo ille? ut dóceat illos modéste sápere, fastúmque mundánum conculcáre, & súscipit, & ulnis compléctitur, talibúsque Regnum Cælórum pollicétur, id quod étiam dixit supérius. Et nos ígitur si vólumus hærédes esse Cælórum, hanc virtútem cum diligéntia magna sectémur. Hoc est enim philosóphiæ culmen, símplicem esse cum prudéntia. Hæc vita est Angélica. Anima enim puéruli ómnibus ánimi morbis vácua est: non memóriam rétinet injuriárum, sed eas inferéntes adit, ut amícos, ac si nihil factum esset. Et quamvis a matre verbéribus cædátur, eam semper quærit, & ómnibus antepónit.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, & de omni corde suo laudávit Dóminum: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, & pérmanens in innocéntia sua. Ipse.

Lectio viii.

SI Regínam ipsi osténdas diadémate ornátam, non præfert eam matri pannis detrítis vestítæ, mallétque illam incúltam vidére, quam Regínam mirífice amíctam. Nam quod suum, quod aliénum est, non ex paupertáte, vel divítiis, sed ex amóre existimáre solet; & nihil plus requírit, quam necessária, atque, ut lacte replétus est, statim a

mam-

mamma abscédit. Non eísdem, quibus nos, ærúmnis prémitur, nec pecuniárum jactúra rebúsque simílibus; nec iísdem, quibus nos, fluxis rebus lætátur, neque córporum pulchritúdinem mirátur. Ideo dicébat: Tálium est enim Regnum Cælórum, ut ex propósito voluntátis illa operémur, quæ natúra sua púeri fáciunt.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, & lucérnæ ardéntes in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus expectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et vos símiles. Glória Patri. Et vos símiles.

Lectio ix.

QUia enim Pharisæi non aliúnde, quam a nequítia, & arrogántia ad agéndum ferebántur, ídeo ubíque Discípulos suos símplices esse jubet, illósque subîndicat, dum hos instítuit. Nihil enim ita supérbiam parit, ut principátus, & primi conséssus. Quóniam ígitur Discípuli per totum terrárum orbem multum honóris consecutúri erant, ipsórum ánimos prævenit, nec sinit eos humánum quid pati, nec honórem a vulgo expétere, vel ante álios sese efférre. Nam etiámsi hæc parva videntur esse, at malis in géntibus causam præbent. Sic enim institúti Pharisæi in malórum culmen ascendérunt, salutatiónes, primos conséssus, & médios requiréntes; hinc in ardéntem glóriæ cupiditátem, inde vero in impietátem lapsi sunt. Te Deum.

DIE

DIE XXI. AUGUST.
In Festo S. Joannæ Franciscæ Fremiot de Chantal, Duplex.

Omnia de Communi nec Virginum, nec Martyrum, præter ea, quæ sequuntur.

Oratio.

OMnípotens, & miséricors Deus, qui Beátam Joánnam Francíscam tuo amóre succénsam admirábili Spíritus fortitúdine per omnes vitæ sémitas in via perfectiónis donásti; quique per illam illustráre Ecclésiam tuam nova prole voluísti: ejus méritis, & précibus concéde; ut qui infirmitátis nostræ cónscii de tua virtúte confídimus, cæléstis grátiæ auxílio, cuncta nobis adversántia vincámus. Per Dóminum, &c.

In primo Nocturno.
Lectiones de Script. occurr.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

JOánna Francísca Fremiót a Chantal Divióne in Burgúndia claríssimis ortá natálibus, ab ineúnte ætáte exímiæ sanctitátis non obscúras édidit significatiónes. Eam enim vix quinquénnem nóbilem quemdam Calviníſtam sólida supra ætátem argumentatióne perstrinxísse ferunt, collatúmque ab eo munúsculum flammis íllico tradidísse in hæc verba: En quómodo hærétici apud ínferos comburéntur, qui loquénti Christo Fidem detréctant. Matre orbáta, Deíparæ Vírginis tutélæ se commendávit, & fámulam, quæ ad mundi amórem eam alliciébat, ab se rejécit. Nihil pueríle in móribus éxprimens, a sæculi delíciis abhórrens,

rens martyriúmque anhélans religióni ac pietáti impénſe ſtudébat. Baróni de Chantál núptui a patre trádita virtútibus ómnibus excoléndis óperam dedit, líberos, fámulos aliósque ſibi ſubjéctos in Fidei doctrína bonísque móribus imbúere ſátagens. Profúſa liberalitáte páuperũ inópiam ſublevábat, annóna divínitus non raro multiplicáta: quo factum eſt, ut némini ſe unquam Chriſti nómine rogánti ſtipem abnegatúrã ſpopónderit.

℟. Propter veritátem, & manſuetúdinem, & juſtítiam: * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua, inténde, próſpere procéde, & regna. Et dedúcet.

Lectio v.

VIro in venatióne interémpto, perfectióris vitæ conſílium íniens, continéntiæ voto ſe obſtrínxit. Viri necem non ſolum æquo ánimo tulit, ſed in públicum indúltæ véniæ teſtimónium, occiſóris fílium e ſacro Fonte ſuſcípere ſui victrix elégit. Módica família, ténui victu atque veſtítu conténta, pretióſas veſtes in pios uſus convértit. Quicquid a doméſticis curis ſupérerat témporis, précibus, piis lectiónibus, laborique impendêbat. Numquam addúci pótuit, ut álteras núptias, quamvis útiles & honoríficas iníret. Ne autem a propóſito caſtimóniæ obſervandæ in póſterum dimoverétur, illíus voto innováto, ſanctíſſimum Jeſu Chriſti nomen candénti ferro péctori inſcúlpſit. Ardéntius in dies charitáte fervéſcens paúperes,

res, derelíctos, ægros teterrimísque morbis inféctos ad se adducéndos curábat: eósque non hospítio tantum expiébat, solabátur, fovédat; verum étiam sórdidas eorúndem vestes depurgábat, láceras reficiébat, & manántibus fætido pure ulcéribus lábia admovére non exhorrébat.

℟. Dilexísti justítiam, & odísti iniquitátem: * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, & mansuetúdinem, & justítiam. Proptérea.

Lectio vi.

A Sancto Francísco Saléſio, quo spíritus moderatóre usa fuit, divínam voluntátem edócta, próprium paréntem, socérum, fílium dénique ipsum, quem étiam vocatióni obsisténtem sua e domo egrédiens pédibus calcáre non dubitávit, invícta constántia deséruit, & sacri Institúti Visitatiónis Sanctæ Maríæ fundaménta jecit. Ejus Institúti leges integérrime custodívit; & ádeo paupertátis sui amans, ut vel necessária sibi deésse gaudéret. Christiánæ vero ánimi dimissiónis, & obediéntiæ, virtútum dénique ómniũ perfectíssimum exémplar se præbuit. Altióres in corde suo ascensiónes dispónens, arduíssimo efficiéndi semper id, quod perféctius esse intellígeret, voto se obstrínxit. Dénique sacro Visitatiónis Institúto ejus potíssimum ópera longè, latéque diffúso, verbo, exémplo, & scriptis étiam divína sapiéntia refértis, ad pietátem & charitátem soróribus excitátis, méritis reférta, & Sacramén-

méntis rite suscéptis, Molíni anno millésimo sexcentésimo quadragésimo primo, die décima tértia Decémbris migrávit ad Dóminum; ejúsque ánimam, occurrénte Sancto Franciísco Salésio, in Cælos deférri Sanctus Vincéntius a Paulo procul distans aspéxit. Ejus corpus póstea Annésium translátum fuit; eámque miráculis ante & post óbitum claram Benedíctus décimus quartus Beatórum, Clemens décimus tértius albo Sanctórum adjécit. Festum autem ejúsdem diem duodécimo Kaléndas Septémbris ab univérsa Ecclésia Clemens décimus quartus Pontifex Máximus celebrári præcépit.

℟. Fallax grátia, & vana est pulchritúdo: * Múlier timens Deum ipsa laudábitur. ℣. Date ei de fructu mánuum suárum, & laudent eam in portis ópera ejus. Múlier. Glória Patri. Múlier.

In tertio Nocturno.

Homil. S. Gregor. P. in Evang. Símile est Regnum Cælorum thesáuro, *&c. ut in Cõm. non Virgin.*

DIE XXVII. AUG.

In Festo S. Josephi Calasanctii Confessoris, Duplex.

Omnia de Communi Conf. non Pont. præter ea, quæ sequuntur.

In Hymn. Iste Conféssor *mutatur tertius versus.*

Oratio.

Deus, qui per Sanctum Joséphum Confessórem tuum ad erudiéndam spíritu intelligéntiæ ac pietátis juventútem, novum Eccle-

clésiæ tuæ subsídium providére dignátus es: præsta quæsumus, nos ejus exémplo, & intercessióne ita fácere, & docére, ut præmia consequámur ætérna. Per Dóminum, &c.

In primo Nocturno.

Lectiones de Script. occurr.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

JOséphus Calasánctius a Matre Dei Petráltæ in Aragónia nóbili génere natus, a téneris annis futúræ in púeros charitátis, & eórum institutiónis indícia præbuit. Nam adhuc párvulus eos ad se convocátos in mystériis Fidei, & sacris précibus erudiébat. Humánis, divinísque lítteris egrégie doctus, cum stúdiis Theológicis Valéntiæ óperam daret, nóbilis poténtísque fœminæ illécebris fórtiter superátis, virginitátem, quam Deo vóverat, inoffénsam insígni victória servávit. Sacérdos ex voto factus, a complúribus Epíscopis in Castéllæ Novæ, Aragóniæ, & Cataláuniæ Regnis in partem labóris adscítus, expectatiónem ómnium vicit, pravis ubíque móribus emendátis, ecclesiástica disciplína restitúta, inimicítiis cruentísque factiónibus mirífice extínctis. At cæléſti visióne, & Dei voce frequénter admónitus Romam proféctus est.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, & custodívit eum ab inimícis, & a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, & osténdit illi Regnum Dei. Et dedit.

IN-

Lectio v.

IN urbe summa vitæ asperitáte, vigílis & jejúniis corpus afflígens in orationibus, & cæléstium rerum contemplatióne dies noctésque versabátur, septem ejúsdem urbis Ecclésias síngulis fere nóctibus obíre sólitus: quem inde morem complúres annos servávit. Dato piis sodalitátibus nómine, mirum, quanto ardóre páuperes, infírmos potíssimum aut carcéribus deténtos eleemósynis, omníque pietátis offício subleváret. Lue urbem depopulánte, unà cum Sancto Camíllo tanto fuit actus ímpetu charitátis, ut præter subsídia ægrótis paupéribus large colláta, ipsa étiam defunctórum cadávera suis húmeris tumulánda transférret. Verum cum divínitus accepísset, se ad informándos intelligéntiæ ac pietátis spíritu adolescéntulos, præcípue páuperes, destinári, Ordinem Clericórum Regulárium Páuperum Matris Dei Scholárum Piárum fundávit, qui peculiárem curam circa puerórum eruditiónem ex próprio Instítúto profiteréntur: ipsúmque Ordinem Cleménti octávo, Paulo quinto, alíisque Summis Pontifícibus magnópere probátum, brevi témpore per plúrimus Európæ Províncias, & Regna mirabíliter propagávit. In hoc autem tot labóres perpéssus est, ac tot ærúmnas invícto ánimo tolerávit, ut ómnium voce miráculum fortitúdinis & Sancti Jobi exémplum dicerétur.

℟. Amávit eum Dóminus, & ornávit eum, stolam glóriæ índuit eum:

eum: * Et ad portas Paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus loricam Fidei, & ornávit eum. Et ad portas.

Lectio vi.

QUamvis Ordini univérso præésset, totísque víribus ad animárum salútem incúmberet, nunquam tamen intermísit púeros, præsértim pauperióres, erudíre, quorum scholas vérrere, eósque domum comitári consuévit. In eo summæ patiéntiæ, & humilitátis múnere, valetúdine étiam infírma, duos & quinquagínta annos perseverávit: dignus proptérea, quem crebis Deus miráculis coram discípulis illustráret, & cui Beatíssima Virgo cum púero Jesu, illis orántibus benedicénte, appareret. Amplíssimis ínterim dignitátibus repudiátis, prophetía, ábdita córdium & abséntia cognoscéndi donis, & miráculis clarus, Deíparæ Vírginis, quam singulári pietáte & ipse ab infántia cóluit, & suis maxime commendávit, aliorúmque cælitum frequénti apparitióne dignátus, cum óbitus sui diem, & Ordinis tunc prope evérsi restitutiónem, atque increméntum prænunciásset; secúndum, & nonagésimum annum agens, Romæ obdormívit in Dómino octáva Kaléndas Septembres anno millésimo sexcentésimo quadragésimo octávo. Ejus cor, & lingua post sæculum íntegra, & incorrúpta repérta sunt. Ipse vero multis post óbitum quoque signis a Deo illustrátus, primum a Benedícto décimo quarto Beatórum cultu decorátus fuit, ac deínde a Clemén-

te

te decimo tértio inter Sanctos solémniter est reátus.

℟. Iste homo perfécit ómnia, quæ locútus est ei Deus, & dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, & pervénit ad cæléstia Regna. Quia te. Glória Patri. Quia te.

In tertio Nocturno.

Léctio Sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vii. Cap. 18.

IN illo témpore accessérunt Discípuli ad Jesum dicéntes: Quis, putas, major est in Regno Cælórum? Et réliqua.

Homilía Sancti Joánnis Chrysóstomi.

In Cap. 18. *Matth. Homil.* 60.

VIdéte, ne áliquem istórum contempséritis parvulórum, quia eórum Angeli Patris mei fáciem semper aspíciunt, & quia ego propter eos veni, & hæc Patris mei volúntas est. Ad tuéndos, conservandosque pusíllos diligentióres nos reddit. Pérspicis quam ingéntia in tutélam tenúium mœnia eréxerit, & quantum stúdium curámque hábeat, ne perdántur; tum quia suprémas decipiéntibus eos pœnas státuit, tum quia summam pollicétur mercédem his, qui curam eórum suscípiunt, idque tam suo, quam Patris exémplo corróborat.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, & de omni corde suo laudávit Dóminum: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus

rus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, & pérmanens in innocéntia sua. Ipse.

Lectio viii.

DOminum ígitur étiam nos imitémur, & nihil pro frátribus omittámus, étiam eórum, quæ humília vilíaque nímium videntur: sed si administratióne nostra étiam opus fúerit, quamvis ténuis atque abjéctus quidem, cui administrándum sit, fúerit; quamvis árdua nobis res, atque labóris plena esse videátur, ómnia hæc pro fratris salúte tolerabilióra faciilióraque, oro, videántur. Tanto enim stúdio, tantáque cura Deus dignam esse ánimam osténdit, ut neque Fílio suo pepércerit.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, & lucérnæ ardéntes in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus expectántibus Dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et vos. Glória Patri. Et vos.

Lectio ix.

SI non est nobis satis ad salútem, quod virtuóse ipse vivámus, sed opórtet aliórum salútem re ipsa desideráre; cum neque nos recte vivámus, neque álios hortémur, quid respondébimus? quæ nobis spes salútis réliqua erit? Quid majus, quam ánimis moderári, quam adolescentulórum fíngere mores? Omni certe pictóre, omni certe statuário, cæterísque hujúsmodi ómnibus excellentiórem hunc duco, qui júvenum ánimos fíngere non ignóret. Te Deum.

DIE XVIII. SEPTEMBRIS.

IN FESTO
S. JOSEPHI A CUPERTINO
CONFESSORIS,

Duplex.

Omnia de Communi Conf. non Pont. præter ea, quæ sequuntur.

In Hymn. Iste Conféssor *mutatur tertius versus.*

In primis Vesperis.

Ad Magnif. Ana.

Mortuus sum, & vita mea est abscóndita cum Christo in Deo.

Oratio.

DEus, qui ad Unigénitum Fílium tuum exaltátum a terra ómnia tráhere disposuísti: pérfice propítius; ut méritis & exémplo Seráphici Confessóris tui Joséphi supra terrénas omnes cupiditátes eleváti, ad eum perveníre mereámur. Qui tecum vivit, & regnat, &c.

In primo Nocturno.

De Epístola secúnda Beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

Lect. 1. *Cap.* 4. ℣. 6.

DEus, qui dixit de ténebris lucem splendéscere, ipse illúxit in córdibus nostris, ad illuminatiónem sciéntiæ claritátis Dei, in fácie Christi Jesu. Habémus autem thesáurum istum in vasis fictílibus: ut sublímitas sit virtútis Dei, & non ex nobis. In ómnibus tribulatiónem pátimur, sed non angustiámur: aporiámur, sed non destitúimur: persecutiónem pátimur,

* sed

ſed non derelínquimur: dejícimur, ſed non perímus: ſemper mortificatiónem Jeſu in córpore noſtro circumferéntes, ut & vita Jeſu manifeſtétur in corpóribus noſtris. Semper enim nos, qui vívimus, in mortem trádimur propter Jeſum: ut & vita Jeſu manifeſtétur in carne noſtra mortáli.

℟. Euge ſerve bone, & fidélis, quia in pauca fuíſti fidélis, ſupra multa te conſtítuam: * Intra in gáudium Dómini tui. ℣. Dómine quinque talénta tradidíſti mihi, ecce ália quinque ſuperlucrátus ſum. Intra in gáudium.

Lectio ii. Cap. 5. ℣. 1.

SCimus enim, quóniam ſi terréſtris domus noſtra hujus habitatiónis diſſolvátur, quòd ædificatiónem ex Deo habémus, domum non manufáctam, ætérnam in cælis. Nam & in hoc ingemíſcimus, habitatiónem noſtram, quæ de cælo eſt, ſuperíndui cupiéntes: ſi tamen veſtíti, non nudi inveniámur. Nam & qui ſumus in hoc tabernáculo, ingemíſcimus graváti; eò quòd nólumus expoliári, ſed superveſtíri; ut abſorbeátur, quod mortále eſt, a vita. Qui autem éfficit nos in hoc ipſum, Deus, qui dedit nobis pignus ſpíritus. Audéntes ígitur ſemper, ſciéntes, quóniam dum ſumus in córpore, peregrinámur a Dómino: (per fidem enim ambulámus, & non per ſpéciem.) Audémus autem, & bonam voluntátem habémus magis peregrinári a córpore, & præſéntes eſſe ad Dóminum.

℟. Juſtus germinábit ſicut lílium: * Et flo-

florébit in ætérnum ante Dóminum. ℣. Plantátus in domo Dómini in átriis domûs Dei nostri. Et florébit.

Lectio iii. Cap. 12. ℣. 1.

SI gloriári opórtet (non éxpedit quidem) véniam autem ad visiónes & revelatiónes Dómini. Scio hóminem in Christo ante annos quatuórdecim (sive in córpore, sive extra corpus, néscio, Deus scit) raptum hujúsmodi usque ad tértium cælum. Et scio hujúsmodi hóminem, (sive in córpore, sive extra corpus, néscio, Deus scit) quóniam raptus est in Paradísum, & audívit arcána verba, quæ non licet hómini loqui. Pro hujúsmodi gloriábor : pro me autem nihil gloriábor, nisi in infirmitátibus meis. Nam, & si volúero gloriári, non ero insípiens : veritátem autem dicam : parco autem, ne quis me exístimet supra id, quod videt in me, aut áliquid audit ex me. Et ne magnitúdo revelatiónum extóllat me, datus est mihi stímulus carnis meæ ángelus sátanæ, qui me colaphízet. Propter quod ter Dóminum rogávi, ut discéderet a me : & dixit mihi : Súfficit tibi grátia mea ; nam virtus in infirmitáte perfícitur. Libenter ígitur gloriábor in infirmitátibus meis, ut inhábitet in me virtus Christi.

℟. Iste cognóvit justítiam, & vidit mirabília magna, & exorávit Altíssimum : * Et invéntus est in número Sanctórum. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, & pervénit ad cæléstia Regna. Et invéntus. Glória Patri. Et invéntus.

In secundo Nocturno.
Lectio iv.

JOséphus a Cupertíno, óppido in Salentínis Diœcésis Neritonénsis, anno reparátæ salútis millésimo sexcentésimo tértio, piis ibídem paréntibus ortus, Deíque amóre prævéntus, pueritiam atque adolescéntiam summa cum simplicitáte, morúmque innocéntia transégit. A diutúrno, molestóque morbo patientíssimè toleráto Deíparæ Vírginis ope liberátus, se totum pietátis opéribus, ac excoléndis virtútibus dedit: utque Deo ad majóra vocánti se intímiùs conjúngeret, Ordini Seráphico nomen dare constítuit. Post vários evéntus voti tandem compos factus, apud Minóres Conventuáles in Cœnóbio Cryptulæ, inter laicos primùm ob litterárum imperítiam, deíndè inter Cléricos Divína dispositióne connumerátus est. Sacerdótio post solémnia vota initiátus, perféctius sibi vitæ institútum propósuit. Quamóbrem mundánis quibuscúmque affectibus, terrenísque rebus pene ad vitam necessáriis íllicò a se abdicátis, cilíciis, flagéllis, caténis, omni demùm asperitátum, ac pœnárum génere corpus afflíxit; spíritum verò sanctæ oratiónis, altíssimæque contemplatiónis assiduitáte dúlciter enutrívit. Hinc factum est, ut Cháritas Dei, quæ jam erat in ejus corde a prima ætáte diffúsa, miro planéque singulári modo in dies coruscáverit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, & custodívit eum ab inimícis, & a seductóribus tutá-

tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, & ostendit illi Regnum Dei. Et dedit.

Lectio v.

ELúxit præcípuè ardentíssima ejus cháritas in ecstásibus ad Deum suavíssimis stupendísque ráptibus, quibus frequénter afficiebátur. Mirum autem, quòd alienáto a sénsibus ánimo, statim ab écstasi eum revocábat sola obediéntia. Hanc quippe virtútem exímio stúdio prosequebátur, dícere sólitus, se ab ea véluti cæcum circumdúci, & mori pótiùs velle, quàm non obedíre. Paupertátem verò Seráphici Patriárchæ ita æmulátus est, ut morti próximus Præláto suo assérere verè potúerit, se nihil habére, quòd more Religiosórum resignáret. Itaque mundo sibíque mórtuus, vitam Jesu manifestábat in carne sua: quæ dum in alíquibus ex turpitúdine obscœnum flagítium sentiébat, prodigiósum de se efflábat odórem, indícium nitidíssimæ illíus puritátis, quam, immúndo spíritu vehementíssimis tentatiónibus frustrà obnubiláre diu conánte; servávit illæsam, tùm arcta sénsuum custódia, tùm jugi córporis maceratióne, tùm dénique speciáli protectióne puríssimæ Vírginis Maríæ, quam Matrem suam appelláre consuévit, ac véluti matrem dulcíssimam íntimo cordis afféctu venerabátur, eámque ab áliis venerári exoptábat, ut cum ejúsdem patrocínio, sicut ipse ajébat, ómnia bona consequeréntur.

℟.

℟. Amávit eum Dóminus, & ornávit eum, stolam glóriæ índuit eum : * Et ad portas Paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fidei, & ornávit eum. Et ad portas.

Lectio vi.

HÆc Beáti Joséphi sollicitúdo a sua erga próximos charitáte prodíbat : tanto enim animárum zelo exardébat, ut ómnium salútem modis ómnibus instantíssimè procuráret. Exténdens páriter charitátem suam in próximum sive páuperem, sive infírmum, sive quacúmque ália tribulatióne vexátum, quantum in ipso erat, illum recreábat. Nec aliéni erant ab ejus charitáte, qui objúrgatiónibus, probris, omnísque géneris injúriis ipsum appéterent; nam eádem patiéntia, mansuetúdine vultúsque hilaritáte tália excipiébat, qua tot inter ac tantas vicissitúdines resplénduit, dum vel moderatórum Ordinis, vel sacræ Inquisitiónis jussu hac illac erráre versaríque coáctus est. Quamquam verò pópuli non solùm, sed viri príncipes exímiam ejus sanctitátem, & supérna charísmata admiraréntur; ea nihilóminùs erat humilitáte, ut magnum se peccatórem réputans, Deum eníxè deprecarétur, ut sua ab eo illústria dona removéret; hómines verò exoráret, ut in eum locum mórtuum ejus corpus injícerent, ubi memória sui esset prorsùs obliteráta. At Deus, qui ponit húmiles in sublíme, quique servum suum, dum víveret, cæléсti sapiéntia, prophetía, córdium pre-

prescrutatióne, curatiónum grátia, cæterísque donis cumulatíssimè exornáverat, ejus quoque mortem iis, quibus ipse ánteà prædíxerat, loco, ac témpore, anno ætátis suæ sexagésimo primo, Auxími in Picéno pretiósam réddidit, sepulchrúmque gloriósum. Illum dénique étiam post óbitum miráculis coruscántem Benedíctus quartus décimus Beatórum, Clemens tértius décimus Sanctórum Fastis adscrípsit; ejus autem Officium & Missam Clemens quartus décimus ejúsdem Ordinis ad univérsam Ecclésiam exténdit.

℟. Iste homo perfécit ómnia, quæ locútus est ei Deus, & dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, & pervénit ad cæléstia regna. Quia te. Glória Patri. Quia te.

In tertio Nocturno.

Léctio Sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vii. Cap. 22.

IN illo témpore loquebátur Jesus Princípibus Sacerdótum, & Pharisæis in parábolis dicens: Símile factum est Regnum Cælórum hómini Regi, qui fecit núptias filio suo. Et réliqua.

Homilía Sancti Gregórii Papæ.

Lib. 2. Homiliar.

Homil. 38. circa med.

QUia jam, largiénte Dómino, nuptiárum domum, id est, sanctam Ecclésiam, intrástis, solérter, Fratres, aspícite, ne áliquid de mentis vestræ hábitu Rex in-

ingrédiens reprehéndat. Cum magno enim cordis timóre pensándum est, quod prótinùs súbditur: Intrávit autem Rex, ut vidéret discumbéntes, & vidit ibi hóminem non vestítum veste nuptiáli. Quid, fratres charíssimi, éxprimi per nuptiálem vestem putámus? Si enim vestem nuptiálem baptísma, vel fidem dícimus, quis sine baptísmate, & fide has núptias intrávit? Eo enim ipso foris est, qui nécdum crédidit. Quid ergo debémus intellígere nuptiálem vestem, nisi charitátem? Intrat enim ad núptias, sed cum nuptiáli veste non intrat, qui in sancta Ecclésia assistens fidem habet, sed charitátem non habet. Rectè enim chá[r]itas, nuptiális vestis vocátur; qui hanc in se Cónditor noster hábuit; dum ad sociándæ sibi Ecclésiæ núptias venit.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, & de omni corde suo laudávit Dóminum: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, & pérmanens in innocéntia sua. Ipse intercédat.

Lectio viii.

SOla quippe dilectióne Dei actum est, ut ejus Unigénitus mentes sibi electórum hóminum uníret. Undè & Joánnes dicit: Sic enim diléxit Deus mundum, ut Fílium suum unigénitum daret pro nobis. Qui ergo per charitátem venit ad hómines; eámdem charitátem innótuit

tuit veſtem eſſe nuptiálem. Omnis ergo veſtrum, qui in Eccléſia póſitus Deo crédidit, jam ad núptias intrávit: ſed cum nuptiáli veſte non venit, ſi charitátis grátiam non cuſtódit. Et certè, Fratres, ſi quis ad carnáles núptias eſſet invitátus, veſtem mutáret; congaudére ſe ſponſo & ſponſæ ex ipſo ſui hábitus decóre oſténderet; inter gaudéntes & feſta celebrántes deſpéctis véſtibus apparére erubéſceret. Nos ad Dei núptias venímus, & cordis veſtem mutáre diſſimulámus. Congáudent Angeli, cùm ad cælum aſſumúntur eléєti. Qua ergo mente hæc ſpirituália feſta conſpícimus, qui nuptiálem veſtem, id eſt, charitátem, quæ ſola nos ſpecióſos éxhibet, non habémus?

℟. Sint lumbi veſtri præcíncti, & lucérnæ ardéntes in mánibus veſtris: * Et vos símiles homínibus expectántibus dóminum ſuum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia neſcítis, qua hora Dóminus veſter ventúrus ſit. Et vos símiles. Glória Patri. Et vos símiles.

Lectio ix.

SCiéndum verò eſt, quia ſicut in duóbus lignis, ſuperióre videlicet, & inferióre veſtis téxitur; ità in duóbus præcéptis cháritas habétur, in dilectióne ſcílicet Dei, & próximi. Scriptum quippe eſt: Díliges Dóminum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota ánima tua, & ex tota virtúte tua, & próximum tuum ſicut teípſum. Qua in re notándum eſt, quia in dilectióne próximi menſúra

súra amóris pónitur, cùm dícitur: Díliges próximum tuum sicut teípsum: Dei autem diléctio nulla mensúra constríngitur, cùm dícitur: Díliges Dóminum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota ánima tua, & ex tota virtúte tua. Non enim jubétur, quisque quantum díligat, sed ex quanto, cùm dícitur, ex toto: quia ille veráciter Deum díligit, qui sibi de se nihil relínquit. Duo ergo necésse est ut charitátis præcépta custódiat, quisquis habére in núptiis vestem nuptiálem curat. Te Deum.

Ad Benedictus, Aña. Ostśndit mihi (Dóminus) flúvium aquæ vivæ spléndidum tanquam crystállum procedéntem de sede Dei, & Agni.

In secundis Vesperis.

Ad Magnificat, Aña. Exístimo ómnia detriméntum esse propter eminéntem sciéntiam Jesu Christi Dómini mei.

DIE XX. OCTOB.

In Festo S. Joannis Cantii Confessoris, Semiduplex.

Omnia de Comm. Confessoris non Pontificis præter sequentia.

Oratio.

DA quæsumus Omnípotens Deus, ut Sancti Joánnis Confessóris exémplo in sciéntia Sanctórum proficiéntes, atque áliis misericórdiam exhibéntes, ejus méritis indulgéntiam apud te consequámur. Per Dóminum, &c.

Ad primas Vesperas.

Hymnus.

GEntis Polónæ glória,
Clerique splendor nóbilis,
De-

Decus Lycæi , & Pátriæ
Pater , Joánnes ínclyte.

Legem supérni Núminis
Doces Magíster , & facis,
Nil scire prodest : sédulo
Legem nitámur éxequi.

Apostolórum límina
Pedes viátor vísitas
Ad pátriam , quo téndimus ,
Gressus víamque dírige.

Urbem petis Jerúsalem ;
Signáta sacro sánguine
Christi colis vestígia,
Rigásque fusis fletibus.

Acérba Christi vúlnera
Hæréte nostris córdibus ,
Ut cogitémus cónsequi
Redemptiónis prétium.

Te prona Mundi máchina
Clemens adóret Trinitas ,
Et nos novi per grátiam
Novum canámus cánticum. Amen.

Ad Matutinum.

Hymnus.

CORpus domas jejúniis ,
Cædis cruénto vérbere ,
Ut castra pœniténtium
Miles sequáris ínnocens.

Sequámur & nos sédulo
Gressus paréntis óptimi ;
Sequámur, ut licéntiam
Carnis refrénet spíritus.

Rigénte bruma próvidum
Præbes amíctum páuperi ,
Sitim famémque egéntium
Esca

Esca potúq; súblevas.
O qui negásti némini
Opem rogánti, pátrium
Regnum tuére, póstulant
Cives Polóni, & ésteri.
Sit laus Patri, sit Fílio,
Tibíque Sancte Spíritus:
Preces Joánnis ímpetrent
Beáta nobis gáudia. Amen.

Lectiones primi Nocturni de Script. occurrent.

In secundo Nocturno. Lectio iv.

JOánnes in óppido Kenty Gracoviénsis Diœcésis, à quo Cantii cognómen duxit, Stanisláo & Anna piis & honéstis paréntibus natus, morum suavitáte, innocéntia, gravitáte ab ipsa infántia spem fecit máximæ virtútis. In Universitáte Cracoviénsi Philosóphiæ, ac Theológiæ primùm audítor, tùm per omnes Académiæ gradus ascendéndo Proféssor ac Doctor, sacra, quam annis multis trádidit, doctrína mentes audiéntium non illustrábat modo, sed & ad omnem pietátem inflammábat, simul docens scílicet & fáciens. Sacérdos factus, nihil de litterárum stúdio remíttens, stúdium auxit christiánæ perfectiónis. Utque passim offéndi Deum máximè dolébat, sic eum sibi & pópulo plácare obláta quotídiè, non sine multis lácrymis, incruénto sacrificio satagébat. Ilkusiénsem paróchiam annis áliquot egrégiè administrávit; sed animárum perículo cómmotus pósteà dimísit, ac postulánte Académia ad prístinum docéndi officium rédiit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, & custodí-

ſtodívit eum ab inimícis, & a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, & osténdit illi Regnum Dei. Et dedit.

Lectio v.

Quidquid témporis ab stúdio supérerat, partim salúti proximórum, sacris præsértim conciónibus, curándæ, partim oratióni dabat: in qua cæléstibus quandóque visiónibus, & collóquiis dignátus fertur. Christi vero passióne sic afficiebátur, ut in ea contemplánda totas intérdum noctes dúceret insómnes, ejusque causa méliùs recoléndæ Hierosólymam peregrinátus sit: ubi & martyrii desidério flagrans, Turcis ipsis Christum crucifíxum prædicáre non dubitávit. Quater étiam ad Apostolórum límina pedes, atque viária onústus sárcina Romam venit; tum ut Sedem Apostólicam, cui máximè addíctus fuit, honoráret: tum ut sui (sic enim adjébat) purgatórii pœnas expósita illic quotídiè peccatórum vénia redímeret. Quo in itínere a latrónibus olim spoliátus, & numquid habéret præterea interrogátus, quum negásset, áureos deíndè áliquot suo insútos pállio recordátus, fugiéntibus hos étiam clamans óbtulit latrónibus: qui viri sancti candórem simul & largitátem admiráti, étiam ablátos ultro reddidére. Aliénæ famæ ne quis detráheret, descríptis Beáti Augustíni exémplo in paríete versículis, se atque álios perpétuò vóluit admónitos. Famélicos de

de suo étiam absónio satiábat. Nudos autem non emptis modò, sed detráctis quoque sibi véstibus, & cálceis operiébat, demísso ipse ínterim usque ad terram pállio; ne domum núdipes redíre viderétur.

℟. Amávit eum Dóminus, & ornávit eum, stolam glóriæ índuit eum: * Et ad portas Paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fidei, & ornávit eum. Et ad portas.

Lectio vi.

BRevis illi somnus, atque humi; vestis, quæ nuditátem, cibus, qui mortem dumtáxat arcéret; virginálem pudicítiam, velut lílium inter spinas, áspero cilício, flagéllis, atque jejúniis custodívit. Quin & per annos ante óbitum trigínta círciter & quinque ab esu cárnium perpétuo abstínuit. Tandem diérum juxtà ac meritórum plenus, quum vicínæ, quam præsénsit, morti se diu, diligentérque præparásset, ne qua re ámpliùs tenerétur, si quid domi supérerat, id omninò paupéribus distríbuit. Tum Ecclésiæ sacraméntis ritè munítus, dissólvi jam cúpiens & esse cum Christo, prídiè Nativitátis ejus in cælum evolávit, miráculis ante & post mortem clarus. Mórtuus ad próximam Académiæ Ecclésiam Sanctæ Annæ delátus est, ibíque honorífìcè sepúltus. Auctáque in dies pópuli veneratióne ac frequéntia inter primários Polóniæ, ac Lithuániæ Patrónos religiosíssimè cólitur. Novísque coruscans miráculis a Cleménte décimo tértio Pontífice Máximo déci-

décimo séptimo Kaléndas Augústi anni millésimi septingentésimi sexagésimi séptimi, solémni ritu Sanctórum Fastis adscríptus est.

℟. Iste homo perfécit ómnia, quæ locútus est ei Deus, & dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, & pervénit ad cæléstia Regna. Quia te. Glória Patri. Quia te.

In tertio Nocturno.

Lectiones de Homilia S. Gregorii Papæ, ut in Commun. Confess. non Pontif. 1. *loco.*

Ad Laudes Hymnus ut in 1. *Vesperis.*

Ad secundas Vesperas.

Hymnus.

Te deprecánte córporum
Lues recédit, ímprobi
Morbi fugántur, prístina
Rédeunt salútis múnera.

Phthisi, febríque, & úlcere
Diram redáctos ad necem
Sacrátas morti víctimas,
Ejus rapis e fáucibus.

Te deprecánte túmido
Merces abáctæ flúmine,
Tractæ Dei poténtia
Sursùm fluunt retrógradæ.

Quum tanta possis, sédibus
Cæli locátus, póscimus,
Respónde votis súpplicum
Et invocátus súbveni.

O una semper Trínitas!
O Trina semper Unitas!
Da supplicánte Cántio
Ætérna nobis præmia. Amen.

D. Gaspar Mariani.